Shultess - De Epimenide Crete - 1877.

Zur gefl. Besprechung ueberreicht vom Verfasser.

DE EPIMENIDE CRETE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINI

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

TRADIDIT

CAROLVS SCHVLTESS

SAXOBORVSSVS.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, TYPOGR. ACAD.

1877.

PATRI CARISSIMO

S.

I.

Novam de Epimenide Crete quaestionem propositurо ante omnia mihi explicandum est, qui qualesque scriptores de vita eius egerint, et quae conditio inter eos intercedat, quo melius pondera eorum, quae passim de nostro traduntur, conferre et examinare possimus. Videretur autem id opus admodum difficile, nec paucis ac quasi in transcursu absolvi posset, nisi nostra aetate tam multa de iis libris [1]) scripta essent [2]), quibus et plurima et longe gravissima de nostro

---

1) Laertius Diogenes, βίοι τῶν φιλοσόφων. I 10. §. 109—115. Suidas s. v. Ἐπιμενίδης. ed. Bernhardy I p. 434—435. et s. v. διεκπατῆσαι.

Eudocia s. v. Ἐπιμενίδης. p. 150 et 166 ed. Villoisson.

Plutarchi Solon cap. 12. ed. Sintenis I p. 165—166.

2) C. et Th. Müller, Fragmenta hist. Graec. I—IV.

F. A. Bohren, de VII sapientibus. Diss. Bonnae 1867.

Rud. Prinz, de Solonis Plutarchei fontibus. Bonn. 1867.

Frid. Bahnsch, quaestionum de Diogenis Laertii fontibus initia. Diss. Regimont. 1868. Gumbinnae.

Frid. Nietzsche, de Laertii Diogenis fontibus. Rhein. Museum. Neue Folge. XXIII p. 632—653. XXIV p. 181—228. id. Beiträge zur Quellenkunde und Kritik des Laertius Diogenes. Basel 1870. p. 7—13.

Erwin Rohde, die Quellen des Jamblichus in seiner Biographie des Pythagoras. Rhein. Museum. N F. XXVI p. 554—576. XXVII 23—61.

Heinr. Begemann, quaestiones Soloneae. specimen I. Diss. Gotting. 1875.

exposita sunt, ut magis haec legenda sint, quam nova quaestio instituenda.

Aetate longe primus Epimenidem commemoravit Xenophanes Colophonius, quem philosophum notum est scholae Eleaticae auctorem fuisse. Floruit autem teste Apollodoro [1]) circa olympiadem LX, i. e. 540 a. C. n., quo tempore Elea a Phocaeensibus fugientibus in Magna Graecia condita erat. Vita eius longissima duravit usque ad Hieronem tyrannum, circa ol. LXXVII. Quod Laert. Diog. IX 18 eum dicit Thaleti et Pythagorae oblocutum et Epimenidem aggressum esse, non maioris momenti est quam alia, quae de philosophorum inimicitiis et rixis traduntur. Pythagoreorum quidem doctrinam, non interire animos sed ex hominibus mortuis in alia corpora transire, veri non dissimile est ab eo impugnatam esse, cum inter omnes fere constet hoc iam ipsum Pythagoram docuisse. Nec minus Xenophanes iam tum fama accipere potuit, Epimenidem 154 annos vixisse.

Hunc sequitur Leander Milesius, quem alii Leandrium alii Maeandrium vocant: composuit autem circa annum a. C. n. 400 *Μιλησιακά*, quibus Apollinis Didymaei templum describens aut Thaletem laudans septem sapientium mentionem facit. Dicit enim eo in numero non Cleobulum et Mysonem sed Leophantum et Epimenidem fuisse [2]), qua re non dubium est, quin hunc Thaletis et Solonis aequalem esse crediderit. Deinde Plato, de leg. III 667 D., commemorat, nostrum in victu cultuque valde temperantem fuisse, et leg. I 642 D. decem annis ante bellum Persicum Athenas eum venisse. Quod quamvis discrepet ab iis, quae reliqui scriptores de Epimenidis tempore tradiderunt, tamen verba non corrupta esse librariorum socordia inde cognoscimus, quod saepius eo loco idem numerus legitur, et iam Clemens

---

1) Diels, Ueber Apollodors Chronica. Rhein. Mus. N. F. XXXI. p. 21 sq.

2) Laert. Diog. I 41. Solon p. 165, 26. Bohren l. c. p. 1.

Alexandrinus, Stromata VI 3 p. 755 Pott. eundem in suo codice invenit. Itaque Thomas Aldobrandinus significatam esse expeditionem eam credidit, quam Cyrus in Lydiam fecit, sed iam alii viderunt inepte sic Platonem Athenienses, quo tempore nemo Graecus bellum Persicum metuebat, id bellum timentes facturum fuisse. Nec minus apparet falsum esse tritum illud aliquando artificium a Dodwellio [1]) adhibitum, qui duo Epimenides fuisse credit, utrumque Cretem, alterum magistrum Pythagorae, alterum discipulum. Primus Bentleius [2]) quem sequitur Hemsterhusius [3]) et Barthélemy I 526 concedit Platonem hoc loco in temporum ratione erravisse. Post quem qui novissime de hac re egit Zeller [4]) recte exponit, secundum Platonis verba nostrum Epimenidem anno a. C. n. 500 Athenas venisse, Platonem autem ab eo, quod ipse verum esse iudicaverit, non potuisse eam ob causam recedere ut dialogus maiorem veri speciem acciperet. Idem a vero ipse aberrat cum dicit, Platonem eruditissimum Atheniensem nescire non potuisse, Epimenidem ante leges a Solone latas Athenas venisse, dubitatque an Philippus Opuntius, qui illos libros post Platonis mortem edidit, de suo addiderit hanc fabulam, compositam illam ad exemplar eius, quam de Diotima Socrates in Convivio p. 201 D. narrat. Primum enim non considerat, quam ignari omnino temporum rationis doctissimi veterum scriptores fuerint et quam raro Epimenides illo tempore nominetur. Deinde non video cur a Philippo quam a Platone fabulam inventam esse malit. Nobis postea

---

1) Henr. Dodwell, de veteribus Graecorum Romanorumque cyclis. Oxonii 1701. p. 147—148.

2) R. Bentlei responsio ad C. Boyle de aetate Pythagorae. ed. Lennep. p. 31—32.

3) ad Luciani Timonem cap. 6.

4) E. Zeller, Ueber Anachronismen in den Platonischen Gesprächen. Abhandlungen der königl. Akad. der Wiss. zu Berlin. Jahrg. 1873. p. 95—99.

explicandum erit, historia a Platone narrata cur non vera esse videatur et qua ratione nasci potuerit.

Aristoteles quidem, cuius auctoritas merito his in rebus maxima est, nostrum duobus locis nominat[1]), quibus testatur se librum illius legisse, eumque vatem iudicatum esse.

Iam vero historia relicta ad fabularum scriptorem videmur pervenire, cum ea audimus quae Theopompus Chius octavo historiarum libro, fr. 69 et 70, tradidit. Qui cum secundum bellum sacrum aut aliam rem mirabilem narrare instituerit, recedens ab historia continua tantam rerum mirabilium copiam coegit, ut passim hic liber appelletur »*Θεόπομπος ἐν τοῖς θαυμασίοις*«. Is nobis cum aliarum de Epimenide fabularum tum historiae de somno mirabili traditae auctor est, quam inde Apollonius hist. comm. 1., Plinius Nat. Hist. VII 175, Laert. Diog. receperunt, non ad verbum illi sane inter se consentientes, quia nec Apollonius nec Laertius Diog. ipsum Theopompi librum legerat.

Nec minus Timaeus libro historiarum secundo, fr. 45 Laert. Diog. I 114, quo Creta insula describitur docet, quantopere vera imago nostri iam tum fabulis obscurata fuerit. Post quos summi in Epimenidis historia momenti est Hermippus Smyrnaeus[3]) Callimachi Alexandrini discipulus Peripateticorum disciplinae adscriptus, qui libros de clarorum virorum vitis haud paucos composuit qui *βίοι* vocantur. In quibus constat fuisse *βίους τῶν ἑπτὰ σοφῶν* quibus eo tempore alii alios adnumerabant, ita ut ipse de decem et septem viris ageret[4]). Hunc autem scimus inutile illud historiae scribendae genus adamasse, quod rectius in Roman-

---

1) Polit. I 1, 6. *περὶ ῥητορικῆς* III 17, 10.

2) Müller, F. H. G. I p. LXX B.

3) vide de nomine operis: Wachsmuth, in Symbola philologorum Bonnensium in hon. Fr. Ritschelii collecta. 1864—67. p. 143. not. 16. De ratione historiae scribendae: Begemann. l. c. p. 4

4) Laert. Diog. I 42.

ensibus ut ita dicam fabulis locum tenet: nomina multorum virorum laudat, quos ut homines obscuros ante eum nemo nominavit, nec dubitat enarrare nomina viginti Lacedaemoniorum, quos Lycurgus in forum venire iusserat[1]), ut accurata narratione legentium animos delectet. Itaque non dubito quin Niciae nomen, filii Nicerati, a quo Laert. Diog. I 110 narrat Epimenidem Athenas arcessitum esse, finxerit, nomine religiosissimi illius ducis usus, qui bello Peloponnesiaco in Sicilia mortuus est. Callimachi magistri *πίνακας τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων*, quos ille libris centum et viginti composuit, in eos quos ipse scripsit recepit, nec minus ipsi deberi ea quae Laert. Diog. I 115 e Myroniani Amastriani libro, qui inscribitur *ὁμοίων ἱστορικῶν κεφάλαια* affert, cognoscimus e loco quodam Plutarchi[2]). In incerto autem relinquimus, num Theopompi et Timaei libros expresserit.

Maxime vero proprium illud Hermippi in historia conscribenda studium elucet in fabulis septem sapientium colligendis et excolendis, quas iam Ephorus magis quam debuit respexerat. Epimenidem ait iam remediis famis sitisque pellendae uti[3]), et epistolas aut ab ipso aut a rhetoribus eius aetatis scriptas in vitas recepit, tanquam a sapientibus mutuo inter ipsos commercio missae sint. Unde natae sunt illae sapientium amicitiae de quibus praeter epistolas ipse nihil exposuit, cum nec in Solonis nec in Epimenidis vita Laertiana aliud illius rei vestigium invenias. Has Hermippi vitas expressit Plutarchus in vita Solonis conscribenda, cuius ille praeter Didymum unus videtur fons esse. Cum igitur initio capitis XII duce Hermippi vita Solonea de Cylonio scelere et Alcmaeonidarum exilio dixerit, et inter civium discordiam Nisaeam et Salamina a Megarensibus captam esse narraverit, in mentem ei venit a quibusdam rerum

1) Plutarchi Lycurgus 5. p. 83, 16.

2) Solon p. 165, 20.

3) fr. 40 = Proclus in Hesiodi Op. et Dies v. 41.

scriptoribus traditum esse, Epimenidem post scelus Cylonium Athenas venisse. Ita ex Hermippi vita Epimenidea in transcursu nonnulla de eius vita describit, et epistolarum exemplum secutus Epimenidem Solonis amicum fuisse commemorat. Initio capitis XIII ad vitam Soloneam redit postquam ea in memoriam revocavit, quae ante Epimenidis vitam in fine exposuerat: *Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι τῆς Κυλωνείου πεπαυμένης ταραχῆς καὶ μεθεστώτων, ὥσπερ εἴρηται, τῶν ἐναγῶν* e. q. s. Atque cum antea laudaverit ab Epimenide cives concordiae amantiores factos esse, iam denuo seditio exardescit.

Nec minus Hermippi vitae expressae sunt a Demetrio Magnete, qui anno a. C. n. 43 *πραγματείαν τῶν ὁμωνύμων* ad finem perduxit, cui indices librorum et homonymorum multasque alias res debemus. Constat fere ab eo locum Lobonis Argivi, qui est Laert. Diog. I 112, receptum esse[1]): sed ineptam Epimenidis epistolam sprevit, cum nova dialecto Attica Epimenidem videret scribere non potuisse[2]). Nec vero Laertius Diog. ipsum illius opus legit, cum non dubium sit quin Nietzsche l. c. in universum recte scriptorum seriem constituerit, sed maxima illa rerum copia descripta est a Diocle Magnete, qui Neronis tempore *ἐπιδρομὴν τῶν φιλοσόφων* edidit. Praeter hanc et *πάμμετρον* eiusdem Nietzsche dicit a Laertio Diog. unum fere expressum esse Favorinum Arelatensem[3]), qui Auli Gellii cognatus, Traiani et Hadriani temporibus *παντοδαπὴν ἱστορίαν* et *Ἀπομνημονεύματα* scripsit, utrumque librum plenum narratiuncularum et fabularum. Quem auctorem semper Laert. Diog. nominat, nisi ille alios ipse scriptores laudaverat, id quod videmus I 111, ubi narrat quot annos Epimenidem vixisse tradiderint Phlegon Cretes Xenophanes. Phlegontis enim Tralliani libellum, quem is


1) Laert. Diog. I 34. Nietzsche Rh. M. XXIV p. 186.

2) Laert. Diog. I 112.

3) Ernst Köpke, Ueber die Gattung der Ἀπομνημονεύματα in der griech. Literatur. Brandenburger Programm 1857. p. 20—30. et Fr. Nietzsche, Rh. M. XXIV p. 642—653.

Hadriani tempore *περὶ μακροβίων* scripsit, non ab ipso Laertio Diog. evolutum esse inde concludas, quod in philosophorum annis definiendis eum alias non sequitur [1]). Itaque verisimile est etiam Xenophanis et Cretum numeros a Favorino collectos esse.

Laert. Diog. atque ii quos sequitur auctores non eam diligentiam impendunt, quam iure vel a vilissimo ut ita dicam compilatore exspectes. Quidquid enim in fontibus legunt eodem fere ordine in suos libros transscribunt, quo fit ut in Epimenidis vita de somno eius tribus locis, § 109, 112, 115, dicatur. Quod autem Eudocia et Suidas et qui illum expressit epitomator [2]) nomine Hesychii Milesii tam saepe inter se et cum Laertio consentiunt, eo factum est, quod omnes sua e Demetrio Magnete hauserunt. Inter illos igitur scriptores quae ratio intercedat praestabit stemmate explicare, in quo magna ex parte exemplum Nietzschii, Rhein. Mus. XXIV p. 207 et 228, sequar.



Praeter hanc seriem continuationemque scriptorum alii permulti Epimenidem commemorant nec pauca de eo tradunt. Velut Athenaeus XIII 602 B laudat Neanthem

---

1) Phlegon (F. H. G. III p. 609 b.) Democritum narrat annos 104 vixisse, Laert. Diog. IX 39 et 43 numerum certum non habet aliamque narrationem sequitur. Bahnsch l. c. p. 52.

2) F. H. G. IV p. 162. fr. 23. Lehrs, Rhein. Mus. XVII p. 453—57.

Cyzicenum, qui initio secundi a. C. n. saeculi περὶ τελετῶν scripsit et Polemonem Iliensem ἐν ταῖς πρὸς Νεάνθην ἀντιγραφαῖς. Cicero nostrum bis nominat, Diodorus Siculus V 80 se libro ab Epimenide scripto usum esse profitetur. Locum Theopompi excerpunt Apollonius, initio historiae commenticiae[1]) Valerius Maximus VIII 13, 5, Plinius Nat. hist. VII § 154 et 175, quamquam priore tantum loco id verbis dicit. Strabo in geographicis X 4, 14. p. 479 C. in insulae Cretae descriptione patrium nostri oppidum Phaestum appellat. Strabonem libro VIII—X plurimis locis, ubicunque non Ephorum et Artemidorum sequitur aut ipse aliquid vidit, descripsisse commentarium illum, quem Apollodorus in Homeri navium catalogum ante annum a. C. n. 133 composuit, Niese maxima cum veri specie exposuit. Atque cum ante illam enuntiationem, qua Epimenidem commemorat, laudet versum Homericum B. 648 Φαιστόν τε Ῥύτιόν τε et paulo post consentiat cum Stephano Byzantio s. v. Φαιστός, etiam Epimenides ipse ab Apollodoro videtur nominatus esse[2]).

Plurimum autem valent ea, quae Pausanias in descriptione Graeciae tradit, cum dicat ad suum usque tempus Athenis et Spartae monumenta, in Epimenidis honorem erecta, servata fuisse, e quibus hoc potissimum, quod apud Lace-

---

1) Apollonium non ipsum Theopompi librum legisse, sed ex iis, quae Bolus Mendesius, philosophus Pythagoreus qui idem Democriteus vocatur, περὶ θαυμασίων teste Suida scripsit, sua hausisse, primus cognovit Keller, qui (Rerum Naturalium script. Graeci. Lipsiae 1877. vol. I p. 43) primorum verborum signa ita disponit: Βώλου· Ἐπιμενίδης ὁ Κρής etc. Adnotat enim p. XLVIII similes genitivos auctoris apud Stobaeum saepius inveniri. Ad hoc tempus omnes genitivo Βώλου patrem Epimenidis significatum esse dicebant.

2) Bened. Niese, Apollodors Commentar zum Schiffscatalog als Quelle Strabos. Rhein. Mus. XXXII p. 267—307. maxime p. 279.

Strabonis verba describit Eustathius, in Dionysii orbis descriptionem v. 88. Geographi Graeci minores ed. C. Müller 1861, II p. 235 et ad Iliadis B. 648. (ed. Lipsiae I p. 254, 12).

daemonios esse III 11, 11 dicit, testimonium multo antiquius est quam omnes loci scriptorum. In Atticae quidem descriptione Wilamowitz-Möllendorf[1]) credit, eum alius periegetae librum, Polemonis Iliensis, describere, sed multa quae ipse aut viderit aut legerit addere, quam sententiam uno adhuc exemplo comprobavit. Itaque cum I 14, 4 de Epimenide disputet, nomen solum statuae aut a periegeta illo commemoratum aut a Pausania Athenis auditum esse credemus, aliunde autem desumptum esse, quod de patria somno lustrationibus addit. Historicorum enim et antiquariorum libros haud paucos legit, et locum e carmine quodam ipsius Epimenidis VIII 18, 2 laudat. Sed quod de sepulcro eiusdem II 21, 3, de monumento III 11, 11, de templo denique ab eo condito III 12, 11 tradit, ab ipsis Argivis et Lacedaemoniis audivisse videtur.

Eodem fere tempore nominant nostrum Plutarchus Chaeronensis quinquies in scriptis Moralibus, e quibus etiam septem sapientium convivium ei non abiudicandum esse nuper demonstravit Georg Hermann[2]), praeterea Maximus Tyrius, Lucianus, Alciphron, Clemens Alexandrinus, L. Apuleius Madaurensis, Tertullianus in libro de anima cap. 44, Tatianus in oratione adversus Graecos 41, Athenaeus VIII 282 E. Praeter eas quas iam commemoravi epistolas una tradita est in Epistolographis Graecis (ed. Hercher p. 636), quam Solon ad Epimenidem scribit.

Porphyrius Plotini discipulus in vita Pythagorae et Iamblichus Porphyrii sectator in libro de vita Pythagorica partim Nicomachi vitam perscribunt, unde fit ut Porph. 29 et Iambl. 135, ubi Empedocles, Abaris, Epimenides ὁ Καθαρτής

---

1) U. v. Wilamowitz-Möllendorf, die Thucydideslegende. Hermes XII p. 346 et 347.

2) Georg Hermann, quaestiones criticae de Plutarchi moralibus. part. I. τῶν ἑπτὰ σοφῶν συμπόσιον. Diss. Halae 1875. cf. Heinze in Bursians Jahresberichte etc. 1877. Heft II et III. p. 586.

Pythagorae discipuli nominantur, ad verbum inter se consentiant [1]). Quod autem Iambl. §. 104 Eurytus Philolai discipulus, Zaleucus, Epimenides dicuntur Pythagorae discipuli fuisse, hoc ab Iamblicho ipso inventum esse Rohde Rh. Mus. N. F. XXVII 37 non sine magna veri specie coniecit. Ea denique narratio, quae §. 222 sequitur eam, qua Pythagoras dicitur magno animo minis Phalaridis restitisse, et quae vix dubitari potest quin Apollonio debeatur, aut ab eodem Apollonio ficta est aut ab Iamblicho inventa. Illo auctore §. 7 Epimenidem dicit testari, Pythagoram Apollinis filium esse. Itaque vides Pythagoreos illos ad historiam nostri restituendam nihil omnino prodesse.

Servius laudat locum Aristotelis de alio Epimenide, cum quo consentiunt Hesychius s. v. *Βουζύγης* et Ausonius. Nonnulla afferunt scholiastae ad Euripidem Aeschinem Apollonium Rhodium Theocritum Lucianum, Ammianus Marcellinus XXVIII 4, Eustathius, Tzetzes. Eusebius in chronico eum ante Solonem archontem Athenas venisse putat, commemoratque eundem in praep. evangelica 31. Praeterea scriptores ecclesiastici Hieronymus Socrates Nicephorus Callisti, Damascius philosophus, Arsenius aliique paroemiographi demonstrant, Epimenidis memoriam, quamdiu antiquorum scriptorum studia florebant, non interiisse.

Postea ex quo veterum scriptorum memoria ac studium revixerunt, collecta sunt ea, quae ab antiquis passim tradita sunt cum aliis locis, tum in adnotationibus ad Laertium Diogenem. Primus nominandus est Thomas Aldobrandinus, cuius notae iterum impressae sunt Londini 1664: qui locorum numerus auctus est ab Isaac Casaubono 1583 et maxime ab Aegidio Menagio 1663, quos commentarios edidit Hübner 1830, volumine I Commentariorum in Laert. Diog. Etiam uberius disputavit de omnibus rebus Ioannes Meursius in

---

1) Rhode, Rh. M. XXVI p. 575. XXVII p. 44.

dissertationibus de Solone et Creta [1]). Nec praetermittenda sunt quae Dodwell l. c. et Corsinus [2]) de tempore, Lomeier[3]) et Schläger [4]) de lustrationibus eius scripserunt. Schlägeri libellum nec Heinrichio nec mihi legere licuit. Sequuntur ea, quae Grabener [5]) et Tib. Hemsterhusius ad Luciani Timonem 6 disputaverunt. Maxima autem pars operis locorum cogendorum iam absoluta est in Io. Alb. Fabricii bibliotheca Graeca, 1705—1728, quam denuo edidit Harless 1790—1809.

Ex his quasi lapidibus domum exstruere conati sunt Brucker[6]), Barthélemy[7]), maxime autem Heinrich[8]), qui de omnibus veterum scriptorum locis tam bene disputavit, quam illo tempore poterat, meritoque ab Harlessio[9]) aliisque laudatus est. Sed auctis ex illo tempore historiae antiquitatum mythologiae studiis e re videtur esse, ut examinentur quaecunque a viris doctissimis [10]) collata sunt, ita quidem

---

1) Opera. ed Lamius. Florentiae 1741 sq. maxime vol. I et III.

2) Eduardus Corsinus, fasti Attici III p. 75. 1751.

3) Joannis Lomeieri Epimenides sive de veterum gentilium lustrationibus syntagma. ed. altera. Zutphaniae 1700. p. 40—44, 156, 214, 359.

4) Schläger de Atheniensibus civitatem suam sanguine humano lustrantibus. Helmstedt 1739.

5) Grabener de Epimenide Athenarum lustratore animadversiones antiquariae ad Diog. Laert. lib. I 10, 3 Progr. Franciscanei Misniensis 1742.

6) Jacobi Bruckeri historia critica philosophiae etc. Tom. I. Lipsiae 1742. Pars II 1. § 29. p. 419 sq.

7) (Barthélemy), voyage du ieune Anacharsis en Grèce. Tom. I. Paris 1788.

8) C. F. Heinrich, Ueber Zeit Absicht und Folgen der Berufung des Epimenides nach Athen. Bibliothek der schönen Wissenschaften e. q. s. 1797. idem, Epimenides aus Kreta. Leipzig 1801.

9) Harless, supplementa ad introductionem in historiam linguae Graecae. 1804. vol I. p. 77.

10) G. Bernhardy, griechische Lit. Gesch. I [4]. 1876.

ut non quamlibet eorum sententiam sed novissimam quam-

G. A. Bode, Geschichte der hellenischen Dichtkunst. I. 1838.
Ernst Curtius, Griechische Geschichte I^4 1874.
Max Dunker, Geschichte des Alterthums IV. 1857.
Eduard Gerhard, über Orpheus und die Orphiker. Abhandlungen d. königl. Akad. d. Wissensch. zu Berlin. 1861, phil. hist. Classe p. 9—95.
George Grote, a history of Greece, II 1869. p. 85 sq. idem, griechische Mythologie, Antiquitäten etc., übersetzt von Fischer. II 1858.
J. A. Hartung, Religion der Griechen und Römer. Theil 1—4 Leipzig 1865—1873.
C. F. Hermann, Lehrbuch der griech. Antiquitäten I^5 1874. II^2 1858.
C. F. Hermann, Culturgeschichte der Griechen und Römer. Hrsgeg. v. Schmidt. 1857.
Karl Hoeck, Kreta. I—III. Göttingen 1821—1829.
Fr. Kortüm, Geschichte Griechenlands von der Urzeit u. s. w. Heidelberg 1854. I.
Chr. A. Lobeck, Aglaophamos sive de theologiae mysticae Graecorum causis. 1829.
Aug. Mommsen, Heortologie. 1864.
K. O. Müller, die Dorier. 2. Auflage 1844.
K. O. Müller, Geschichte der griech. Lit. I^3 1875.
Greg. Guil. Nitzsch, de historia Homeri maximeque de scriptorum carminum aetate. I 1830.
Ludw. Preller, griechische Mythologie. 3. Auflage von E. Plew.
Richter s. v. Epimenides b. Ersch u. Gruber. Sect. I. tom 36. p. 2.
F. C. Schlosser, Universalhistorische Uebersicht über die Geschichte der alten Welt. I 2. 1826.
G. F. Schömann, griech. Alterthümer. 3. Aufl.
P. R. Schuster, de veteris Orphicae theogoniae indole atque origine. Lipsiae 1869. Diss.
Stein, Entwicklung des spartanischen Ephorats bis auf Cheilon. 1870. Programm von Konitz.
Thirlwall, history of Greece III 1836.
L. Urlichs, Ueber die lykurgischen Rhetren. Rh. M. N. F. VI. p. 217 sq.
F. G. Welcker, griech. Götterlehre. 1857—1863.

que et gravissimam commemorem, de manifestis autem erroribus plerumque non dicam.

II.

§. 1. Constat quidem uno omnium auctorum consensu, Epimenidem Creta in insula natum esse, sed patrium eius oppidum incertum esse non mirabimur, si consideraverimus, ne in Graecia quidem nedum in Creta ante finem saeculi sexti extitisse historicos, nostrum autem, cum senex in Graeciam processisset, compluribus demum saeculis post a rerum fabularumve scriptoribus commemoratum esse. Ut igitur quid verum sit affirmare non possum, ita licet demontrare, secundum ea quae tradita sunt, Phaesto maiorem auctoritatem quam Cnoso esse tribuendam. Haec quidem maiore locorum numero commendatur, cum Cnosium nostrum appellent Laert. Diog. I 109, Apollonius, Valerius Maximus, Plinius l. l. c. c., Suidas, Eudocia, Pausanias I 14, 4, sed quia quatuor illos priores Theopompum sequi, Suidam et Eudociam eundem atque Laert. Diog. fontem habere antea demonstravi, praeter Pausaniam unus Theopompus libro octavo Cnosum nominat. De Phaesto oppido dicit Strabo l. c. *ἐκ τῆς Φαίστου τὸν τοὺς καθαρμοὺς ποιήσαντα διὰ τῶν ἐπῶν Ἐπιμενίδην φασὶν εἶναι*, et Plutarchus initio dissertationis quam de oraculorum defectu scripsit[1]) et capite XII vitae Soloneae. Inde Jo. Tzetzes historiam de Epimenidis vaticinatione una cum nomine hausit[2]). Itaque cum Theopompus et Pausanias Cnosum, Hermippus et Strabo Phaestum nominent, neutri parti auctoritate scriptorum maius momentum tribuitur quia

---

1) ed. Dübner, vol. I p. 499, 29.

2) Chil. V 18, 629 sq. etiam Eudocia: *κατὰ δέ τινας Φαίστιος.*

utrique minima fide digni sunt. Nec quicquam eo efficitur quod Laertius Diog. I 112 tradit, eum *φιλίαν καὶ συμμαχίαν Κνωσσίων καὶ Ἀθηναίων* fecisse. Phaestus enim et Cnosus oppida iam ab Homero nominantur et originem ad Minoem conditorem referebant[1]. Phaestus nec clara unquam erat et tertio fere saeculo in potestatem Gortynae venit[2]: Cnosus autem in media ora septentrionali sita, mercatura cultu Iovis Cretici legum antiquitate notissima erat. Quodsi Phaesti Epimenidem natum esse non antiquissima fama fuisset, non video quomodo id rerum scriptores narrare potuerint. Cnosi vero magnitudine non minus factum est ut Suidas Thaletam inde ortum esse memoret, cum alii Gortynam patriam eius esse perhibeant[3].

Etiam patris nomen incertum est cum Laert. Diog. Suidas Eudocia, Theopompum secuti, nominent Phaestium vel Phaestum. Praeterea Laert. Diog. et Suidas narrant, ab aliis eum dici Agesarchum vel Agiasarchum vel Agesarcum et Dosiadem. De quibus si licet omnino sententiam dicere, Phaestii vel Phaesti nomen videtur ex oppidi illius nomine corruptum, Dosiades autem est historicus quem laudat Diodorus V 80 una cum Epimenide auctorem historiae Cretensis[4]. Verisimile est alium historicum alius patrem, Epimenidem Dosiadis filium vocatum esse. Forsitan etiam Agesarchi nomen, quod unum restat, inventum sit. Matrem Plutarchus in vita Solonis Balten, Suidas Blasten, Eudocia Blaisten appellat, idem nimirum nomen sed variis modis corruptum. Quae denique a Plutarcho traditur fabula, eam nympham fuisse, aut

---

1) Diodor V 78.

2) Bursian, Geographie v. Griechenland. II 567.

3) Hoeck I 9 not m. hac in re minus oppidum maiori praeferendum esse concedit. Phaestium nominant Epimenidem Bursian l. c. K. O. Müller, Dorier I 208. Pauly, Realencyclopaedie III p. 192. 1844. alii.

4) Alios eiusdem nominis viros enumerat Müller F. H. G. IV. p. 399.

ab iis qui tum erant hominibus inventa est, quod tam singularem virum non putabant ex humana matre prognatum sed dea ortum esse, aut a posteriorum temporum auctoribus excogitata est, qui etiam alias ei commercium cum nymphis fuisse narrant.

De genere cum nihil traditum sit putabimus eum aut Doriensem aut Eteocretem fuisse. Nec enim nostrae sententiae contrarium est quod Schömannus I[6] 321 sq. dominos Dorienses dicit bello tantum ac reipublicae administrandae deditos fuisse, neglectis omnibus aliis rebus. Illa libertate quantum gloriati sint isti viri, Hybriae scolion ab Athenaeo XV 20 traditum demonstrat, sed nihil aliud inde apparet, quam agrum colendum aliosque labores manibus exercendos subiectis gentibus committi solitos esse. Doctrinam et artes a nobilibus magis contemptas esse quam a populis subiectis non audimus, cum praesertim Thaletas, quem unum poetam Cretensem illorum temporum novimus, Doriensis fuerit. Atque ego nescio an omnino non refutandi sint ii, qui dixerunt Epimenidem perioecum fuisse, quia puer a patre ovis quaerendae causa in agrum missus sit. Constat enim eos a vero longe aberrare, qui singulas res ex historia fabulosa ut veras desumant alias fabulis adnumerent.

Nec vero literarum studiis et magistri praeceptis sed natura et indole nostrum ad eam quam laudant dignitatem auctum esse, praeter Pythagoreos de quibus initio dixi, omnes concedunt. Maximus Tyrius demum (I 285 et II 222 Reiske) Epimenidem facit narrantem, se tempore somni illius diuturni, de quo postea dicemus, deos convenisse et deorum Verba (*θεοῖς καὶ θεῶν λόγοις*) et Veritatem ipsam et Iustitiam.

Porro quem locum Creta in insula habuerit et quo munere functus sit e seris testimoniis magis conici potest, quam traditur. Primum enim fabula illa Theopompi quae est apud Laert. Diog. I 115 significat, Iovem ab eo cultum esse, qua narratur, cum nymphis fanum exstruere vellet, vocem de caelo auditam esse iubentis, id non nymphis sed Iovi consecrari.

Urlichs l. c. p. 219 dubitat an ea ad Iovis et Veneris Olympiorum templum pertineant, quod Spartae ab Epimenide consecratum esse testis est Pausanias III 12, 11. Credit igitur cum antea id soli Veneri dedicare iussus esset, Epimenidem consilium mutavisse populoque fabulam illam narravisse. Sed quomodo nympharum cultus idem sit atque Veneris Olympiae, quae cum Iove Olympio composita ibi summa deorum mater est, non video nec magis, quomodo iis quae attulit exemplis id comprobare voluerit.

Deinde Epimenidem Iovem veneratum esse inde concluditur, quod Myronianus Amastrianus tradidit Cretenses eum *Κοίρητα* aut *νέον Κούρητα*[1]) appellavisse: utrum enim Hermippus scripserit, non constat. Iovem in Creta natum esse praedicabant, secundum Hesiodum in antro apud Lyctum, secundum alios apud Praestum vel in Ida monte. Puerum deum nutrices nymphae feraeque in montibus vagantes alunt, dum interim Curetes armorum strepitu Saturni insidias irritas faciunt: qua re populus eos deorum instar veneratur, ita ut etiam a iurantibus testes[2]) invocentur. Nostrum igitur qui in Curetum numerum referebant, Iovis cultorem esse testabantur, nec miramur quod ipsi sacra divina fecerunt[3]). Qua cum re cohaeret quod *Κουρήτων καὶ Κορυβάντων γένεσιν καὶ θεογονίαν* ab eo scriptam esse Laert. Diog. I 111 commemorat, sive revera ipse hoc opus composuit, sive multis saeculis post scriptum, propterea ei tributum est quod eum,

---

1) Plut. Solon p. 105, 29. Laert. Diog. I 115.

2) Preller-Plew l. c. I p. 104—106, qui Curetes ut deos nominatos esse dicit C. I. G. nro. 2554 et 2555.

3) Laert. Diog. I 114: *λέγουσι δέ τινες ὅτι Κρῆτες αὐτῷ θύουσιν ὡς θεῷ.* Venerantur Epimenidem non ut heroem, cui eadem sacra fiunt atque homini mortuo, sed ut deum, aedibus in orientem versis et *βωμῷ* non *ἐσχάρᾳ* vel *βόθρῳ*. Idem de Lycurgo tradit Plutarchus Lyc. 31 et alii. cf. Gelzer, Lycurg und die delphische Priesterschaft. Rh. M. N. F. XXVIII p. 34 sq. Divini honores nostro tribuuntur ut aliis Curetibus, qui sola in Creta deorum in numero habebantur.

qui ipse Curetibus adnumerabatur, de eorum origine optime dicere posse credebant, ut Orphici carminibus quae ad res post mortem futuras pertinebant Orphei nomen inscribebant, quem in ipsum Orcum descendisse traditum erat. Etiam Maximus Tyrius I 285 commemorat, Epimenidem in Iovis Dictaei antro longum illum somnum dormivisse, ibique praecepta a deo accepisse, id quod de rege Minoe tradebant: et ut Iupiter puer a nymphis alitur, ita idem posteriores scriptores de eius sacerdote fabulabantur. Haec igitur testimonia quam incerta sint vides et quantum dubitationis relinquant, sed puto eum hanc ob causam dici Cnosi, in antiquissima quasi sede Iovis et Apollinis, natum esse, quamquam antiquioribus fabulis Phaestius ferebatur. Pythagorei denique his fabulis acceptis magistrum suum una cum Epimenide ferebant in antrum Idaeum descendisse[1]), nimirum quod nostrum Iovis illius sacerdotem esse audierant.

§. 2. Summam atque fortasse maiorem quam debuit gloriam eo nactus est, quod Atheniensium urbem lustravit, sed etiam haec res adeo est oblivioni data, ut nec quam ob rem nec quo tempore eo venerit satis constet. De ipso enim tempore antiquissimi testes inter se dissentiunt, cum Plato leg. I 642 D. eum anno a. C. n. 500 sacra quaedam Athenis fecisse tradat, Leander autem Milesius eum in septem sapientium numerum receperit, qua in re eum secuti sunt Hermippo auctore Plutarchus in Solone et in libro qui inscriptus est septem sapientium convivium cap. 14, Laert. Diog.[2]) I 41 et 42, et ii, qui epistolas nobis traditas conscripserunt. Septem sapientium autem annus certus est 585—584 a. C. n., quo die 28 mensis mai solem defecturum esse Thales praedixerat.

Causam Plutarchus, Hermippum secutus, dicit fuisse scelus Cylonium, quod idem tradit Suidas et Cicero de leg.

1) Laert. Diog. VIII 3.

2) Bohren l. c. p. 29.

II 11, 28, nec aliter Neanthes videtur sensisse, qui fr. 24 nostrum *διά τινα μύση παλαιά* hostias humanas immolasse auctor est. *μύσος* enim significat flagitium et scelus, quale caedes Cyloniorum fuit. De qua quod Thucydides I 126 narrat, hoc mirum in modum consentire cum eo, quod Lobon Argivus Eumenidum templum a nostro consecratum esse tradit, postea demonstrabo. Laert. Diog. autem I 110 primum eum iussu oraculi Delphici vocatum pestilentiae finiendae causa quaedam sacrificia fecisse narrat, deinde addit: *οἱ δὲ τὴν αἰτίαν εἰπεῖν τοῦ λοιμοῦ τὸ Κυλώνειον ἄγος, σημαίνοντες τὴν ἀπαλλαγήν.* Hoc loco non possumus ferre nominativum pluralis *σημαίνοντες*, qui in codicibus legitur, cum ad unum verbum *οἱ δέ* referri possit. Ineptius autem Laertium Diog. scripsisse credimus, cum dicit, nonnullos auctores causam pestilentiae appellavisse scelus Cylonium, significantes, id hac occasione expiatum esse. Deinde non recte verba *οἱ δέ* coniunges cum infinitivo *εἰπεῖν*, sed ad ea supplendum est *φασί*, id quod post *οἱ δέ*, *ἔνιοι δέ* apud Laert. Diog. saepe deest, etiam si verbum dicendi non antecessit. Ita incipit vita Cleobuli I 89: *Κλεόβουλος, Εὐαγόρου Λίνδιος· ὡς δὲ Δοῦρις, Κάρ. Ἔνιοι δέ, εἰς Ἡρακλέα ἀναφέρειν τὸ γένος αὐτόν*, ubi non minus e verbo suppleto pendet accusativus cum infinitivo. Itaque si post particulam *δέ* comma scribimus, quaeritur utrum subiectum sit Epimenides an Pythia. Cum autem verisimilius sit deum Delphicum Atheniensibus interrogantibus respondere quae pestis causa sit, quam Epimenidem eius auctoritate demum advocatum id cognoscere, malim suppleto nomine Pythiae verba hunc in modum intelligi: alii autem tradunt, Pythiam causam nominavisse pestilentiae. Tum autem pro *σημαίνοντες* legemus id, quod Kühn[1]) proposuit *σημαίνειν τε*. Substantivum quod tam longe spatio seiunctum supplendum est, non abhorret a Laertii Diog. parum, ut constat, accurato genere dicendi: tamen

1) ed. Hübner II p. 687.

haud scio an ante verbum *αἰτίαν* exciderit verbum *Πυθίαν*, ita ut scriptum esse possit: *οἱ δέ, τὴν Πυθίαν αἰτίαν εἰπεῖν τοῦ λοιμοῦ τὸ Κυλώνειον ἄγος, σημαίνειν τε τὴν ἀπαλλαγήν.* Itaque illi Laertii Diog. auctores tradunt, Athenienses pestilentia vexatos Apollinem Delphicum adiisse, illum autem morbum poenam esse dicentem caedis Cyloniae nondum satis expiatae, illud fieri iussisse. Qua in re minus acurate scribit Plutarchus cum dicit ipsum scelus causam fuisse, quod idem faciunt Ammianus Marcellinus XXVIII 4 et ii quos iam nominavi Suidas et Cicero. Cum Laertio Diog. unus consentit Maximus Tyrius diss. XXXVIII [1]), qui dicit Epimenidem Athenas peste et discordia laborantes sacrificiis suis servavisse.

Diversae autem sunt Laertii Diog. et Plutarchi sententiae, quod hic narrat Nisaea et Salamine a Megarensibus captis nostrum auctoritate vatum Atheniensium arcessitum esse, ille consilio Apollinis Delphici id factum esse tradit. Sed Pythiam illud iussisse veri non dissimile est, cum eo tempore dignitatem illius oraculi, quod ipse Cylon consuluerat, Athenis potissimum auctam esse inde sciamus, quod primo bello sacro Solonis tempore Athenienses contra Cirrham et Crissam pugnaverunt. Eosdem, cum pestilentia premerentur, consentaneum est eum deum consuluisse, quem etiam perniciosissimum morbum in bello Peloponnesiaco finivisse crediderunt [2]). Augetur Laertii Diog. hac in re fides, quod Cretem nostrum esse scimus: constat enim oraculum Delphicum per gentem sacerdotalem tam arte aliquamdiu cum Creta insula coniunctum fuisse, ut hymno notissimo Cretes sacri illius auctores laudarentur [3]).

---

1) Π 222 Reiske p. 149, 48. Dübner. *πόλιν κακουμένην λοιμῷ καὶ στάσει.*

2) Pausanias I 3, 4.

3) Schömann, de Apolline custode Athenarum. Gryphiswaldiae 1856. p. 31 sq.

Quamquam Epimenidem audivimus septem sapientium aequalem iudicatum esse et Cylonii sceleris expiandi causa iussu oraculi Delphici Athenas venisse, tamen haud scio an epistolographorum Hermippi Plutarchi incerta auctoritas contemnenda esset, si loco Platonis iam laudato[1]) vera narrari viderentur. Narrat ibi Clinias Cres, decem annis ante bellum Persicum Epimenidem virum divinum Athenas venisse consilio oraculi, ibique sacrificia quaedam a deo instituta fecisse. Eundem Atheniensibus Persarum impetum metuentibus praedixisse, hostes ante decimum annum non venturos esse, si autem futurum sit ut veniant, plus mali passuros quam facturos esse. Addit eo tempore Cretes cum Atheniensibus hospitium iunxisse et amicitiam illam servavisse. Initio dixi recte Zellerum aliosque exposuisse, Platonem facere Epimenidem Athenas venientem decem annis ante quam Persae Atticam aggrederentur, id quod factum est pugna Marathonia. Quae cum mense septembri anni 490 commissa sit, duobus annis ante Mardonius profectus est 492, duobus autem ante hunc annis Miletus expugnata 494. Idem factum est sexto tumultus Ionici anno: qua re anno 499 bellum illud ortum esse constat. Athenienses igitur non dicemus bellum Persicum timuisse ante finem anni 499, postquam Sardibus expugnatis copiae eorum apud Ephesum devictae erant. Antea enim si timidi fuissent, non Aristagorae petenti viginti naves dedissent[2]), quas clade accepta domi retinebant. Hoc factum est sub finem anni ante pugnam Marathoniam decimi. Ab eo autem tempore non crediderim eos hospitium et amicitiam cum aliqua civitate iunxisse, nisi promisso eodem tempore auxilio contra Persas, quod Cretes ante secundum bellum Persicum non dederunt[3]). Nec solum Platonis locus per se ipse suspicionem

---

1) leg. I 642 D. vide p. 6 sq.
2) Herodot V 97 et 108.
3) Herodot VII 69.

movet, sed etiam ea quae ab aliis de rebus ab Epimenide institutis traduntur, cohaerent cum iis, quae Thucydides I 126 de Cyloniorum caede narrat, de qua propterea accuratius dicemus.

§. 3. Nelidarum regno sublato non tam populi libertas quam Eupatridarum licentia Athenis creverat, quae miseria ne ea quidem re minuta est, quod Dracon leges usitatas litteris mandavit. Crescente igitur in dies discordia Cylon, qui summo loco natus ludis Olympicis ol. 35 recursu i. e. *διαύλῳ* victoriam reportaverat [1]), et cum Theagene Megarensium tyranno affinitate coniunctus erat, tyrannidem affectabat et die festo Iovis Olympici arcem occupaverat. Sed Athenienses undique concurrentes primo ipsi arcem oppugnaverunt, deinde aegre belli miseriam ferentes rem ad archontes detulerunt, quo in numero Alcmaeonidarum gens auctoritate et divitiis plurimum pollebat. Eorum impetu coactus mox Cylon cum fratre ex arce aufugit, milites et amici fame confecti pars ad Minervae *Πολιάδος* [2]) aras in arce, pars ad Eumenidum sacra, quae in valle inter arcem et Areopagum et quidem proxime apud hunc sita erant [3]), confugiunt. Itaque arce occupata ne perfugii inviolabilis sanctitatem violarent duces Atheniensium, iis qui in arce erant promittunt se parsuros esse, recedentes ab aris concidunt, cuius flagitii postea variae causae ferebantur. Quid plura? pietate fideque laesa ne ab iis quidem manus abstinent, qui in Eumenidum aris sedebant [4]). Huius sceleris immanitas iram a Cylone ad nobiles illos declinavit, qui potentia sua abusi religionem turpissime

---

1) Thuc. l. c. §. 2: *Κύλων ἦν Ὀλυμπιονίκης* etc. Sex. Iulius Africanus ed. Rutgers. p. 13.

2) C. Wachsmuth, die Stadt Athen im Alterthum. I p. 502. not. 2.

3) ibidem p. 253.

4) Thuc. l. c. Iänisch, de Graecorum asylis. 1868. diss. Gottingensis.

laesissent. Nimirum qui legum iurisque scientiam sibi propriam esse contenderant, partium studio irritati insanabile crimen in se commiserant, qua causa ipsi et posteri *ἐναγεῖς* et *ἀλιτήριοι τῆς θεοῦ* ab Atheniensibus vocabantur. Nec solum ipsi a civibus e patria expulsi sunt sed etiam Clisthenis et Periclis temporibus Lacedaemonii genus eorum ex urbe eici iusserunt [1]. Eo in periculo cum civitas omnis et maxime optimates versarentur Solonem exstitisse testatur Plutarchus, et Alcmaeonidis persuasisse ut trecentorum virorum iudicio obedientes essent. Ab illis autem e patria expulsi sunt, atque etiam gentiles flagitio adeo contaminati esse credebantur, ut ne ossa quidem eorum, qui ante iudicium mortui erant, in Atticae finibus iacere paterentur. Quo decreto id perfecerant Athenienses, de quo Thucydides tradit l. c. §. 7 *ἤλασαν μὲν οὖν καὶ οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς ἐναγεῖς τούτους*, cum caedis illius auctores non iam in patria morari paterentur. Aucta vero septimo potissimum saeculo Graecorum religione non iam sufficere credebant auctorem caedis iis, qui iura hominis occisi defendebant, diis scilicet et cognatis, satisfacere sed praeter hanc expiationem (*ἱλασμός*) putabant interfectori necessariam esse lustrationem (*καθαρμός*), ne impurus ad deos homines que accederet [2]. Quae superstitio apta illa ad mores rudium hominum mitigandos, si minus nata, aucta tamen videtur cultu Apollinis Delphici, quem primum ferebant Pythone interfecto in Creta a Carmanore lustratum esse [3]. Atque dii irascuntur non solum iis, qui interfecerunt sed etiam in gentiles et populares qui illorum commercio utuntur transit contagio, i. e. *μίασμα* vel *μύσος*, quod verbum etiam a Neanthe usurpatum esse iam dixi. Itaque Athenienses, cum tam diu sceleratos homines in urbe manere passi essent, ipsi culpa illius caedis contaminati erant,

---

1) Thuc. l. c. Herodot. V 71.
2) Ed. Gerhard. l. c. p. 69 et 70, not. 126 et 127.
3) Schömann, l. c. II³ 352 sq.

nec Eumenidum sacrosanctae arae, nefario scelere maculatae, restitutae erant, id quod vulgaribus caerimoniis fieri non poterat. Qua causa videmus ei, qui a culpa sceleris Cylonis a Thucydide descripti Athenas lustrare volebat, ante omnia illarum dearum sacra restituenda fuisse, deinde alias caerimonias instituendas, aptas ad caedis culpam tollendam.

Hoc autem Epimenidem scimus fecisse de quo Laert. Diog. I 112: *Ἱδρύσατο δὲ καὶ παρ' Ἀθηναίοις τὸ ἱερὸν τῶν σεμνῶν θεῶν, ὥς φησι Λόβων ὁ Ἀργεῖος ἐν τῷ περὶ ποιητῶν.* Nomen *τῶν σεμνῶν θεῶν* idem est quod Thuc. l. c. usurpat: *καὶ ἐπὶ τῶν σεμνῶν θεῶν [ἐν τοῖς βωμοῖς] ἐν τῇ παρόδῳ διεχρήσαντο*, nec dubium est quin falso Hartung l. c. I 103 hoc loco Cererem et Proserpinam significatas esse dicat. Est enim nomen venerandarum dearum (*σεμναὶ θεαί, σεμναί*) Athenis usitatum, quas Pausanias I 28, 6 testatur easdem esse, quae in Hesiodi Theogonia *Ἐρινῦς* vocentur. Nulla causa cogitari potest qua adducamur, ut falso Lobonem hoc tradidisse putemus, cum praesertim haec narratio et ea quae cum Cylonio scelere nostrum coniunxit per se utraque tradita sit: quas quidem nos demum vidimus tam arte inter se conexas esse, ut vel si una earum certa sit, collato loco Thucydidis de altera coniecturam faciamus [1]). Nec id obstat quod Lobon dicit Epimenidem Eumenidum *ἱερὸν ἱδρύσασθαι*, quod verbum video plerumque de sacris denuo consecrandis adhiberi, Eumenidum autem aras et aliunde scimus antiquissimas Athenis fuisse [2]), et commemoratas esse a Thucydide vidimus. Nam cum hic aras tantum nominet, Epimenides illas maiore cum splendore restituit et templum dearum condidit. Illo tempore forsitan deas venerati sint

1) Idem fere quod Lobon tradit Eudocia p. 150: *καὶ τῶν σεμνῶν θεῶν ἱερὸν καθάπερ καὶ ἐν Κρήτῃ, ἱδρύσατο.* Quamquam scio Hoeckium III 282 not. u. hoc falsum esse credere, quod eo magis miraberis eum facere, qui Epimenidem post scelus Cylonium Athenas venisse concedit.

2) U. Köhler, der Areopag in Athen. Hermes VI p. 102.

incerto numero imaginibus perantiquis, quibus Calamis unam adposuit statuam. Postea cum per Euripidis fabulas invaluerit sententia, illas tres numero esse, Scopas duas statuas addidit ita ut Pausanias I 28, 6 tres illas viderit, quarum aspectum nihil terribile habere affirmat [1]). Ita re a Lobone narrata omnium maxime videmus confirmari sententiam eorum, qui Epimenidem post Cylonium scelus Athenas venisse tradunt.

Cum Eumenidum cultu [2]), quibus cordi est ut sanctissima officia ab hominibus serventur, quae peccatores iratae puniunt, pios propitiis oculis aspiciunt, coniunctum est Areopagitarum consilium. Areopagitae velut ministri dearum voluntatem exequebantur, quarum nomine ius sacrum tuebantur, ad quod pertinent iudicia capitalia. Etiam Pausaniae I 28, 6 temporibus ii, qui ab Areopago crimine absoluti erant Eumenidibus sacra faciebant: quanam alia de causa, quam quod has illis iudiciis praeesse credebant? Quod igitur Epimenidem propter caedem maximam Athenas vocatum Eumenidum sacra restituisse cognovimus, haud scio an eodem pertineat atque alterum illud, quod postea duos lapides ab eo consecratos dicebant esse, quos, non arte illos elaboratos, Pausanias I 28, 5 in Areopago invenit. Ex altero quem *Ὕβρεως* esse dicebant reus, ex altero quem *Ἀναιδείᾳ* tribuebant accusator in iudiciis capitalibus dicebat. Cicero enim eosdem significat, cum leg. II 11, 28 exponit: „nam illud vitiosum, Athenis quod Cylonis scelere expiato Epimenide Crete suadente fecerunt Contumeliae fanum et Impudentiae: virtutes enim non vitia consecrare licet«. Idem

---

1) P. W. Forchhammer, de lapidibus in Areopago quibus insistebant reus et accusator commentatio. Kiliae. Ind. Lect. 1843—44. Urlichs, Scopas in Attica. 1854. p. 5.

2) cf. Schömann I 522 sq. et antiquissimum versum oraculi Dodonaei, quem commemorat Pausan. VII 25, 1: *Φράζεο δ' Ἄρειόν τε πάγον βωμούς τε θυώδεις Εὐμενίδων.*

fere putat Clemens Alexandrinus [1]): quosdam philosophos poetarum more affectus nostros specie humana induisse, Timorem Gaudium Spem *ὥσπερ ἀμέλει καὶ Ἐπιμενίδης ὁ παλαιός, Ὕβρεως καὶ Ἀναιδείας ἀναστήσας βωμούς*. Quos locos si cum Pausania composueris videbis eo tempore Athenis prope Eumenidum templum duos lapides fuisse, qui quem in iudiciis sacris locum habuerint refert Pausanias, quos Cicero aras credebat esse. Hunc quidem et Clementem Graeca nomina non recte intellexisse iam pridem docuit Forchhammer l. c. Significat enim hoc loco *ἀναίδεια* negatam veniam et legitimam in persequenda rei contumacia assiduitatem, et severitatem, cuius in lapide stabat accusator interfectoris. Ex *Ὕβρεως* autem lapide accusatum dicere tradidit Pausanias. Epimenidem igitur, cum Ciceronis aetate dictus sit constituisse, ut lapidibus illis, qui natura hoc loco positi erant, in iudiciis capitalibus accusator et reus dicerent, credimus his maiorem tribuisse dignitatem, vel eorum sanctitatem nova quadam caerimonia auxisse.

Eumenidum templum restitutum si *ἱλασμός* est, quo diis iratis iusta reddebantur, etiam alia quaedam caerimonia eodem pertinet. Narrat enim Laert. Diog. I 110 oppidum lustratum pestilentiamque sublatam esse hoc modo: »Sumpsit nigras et candidas oves duxitque in Areopagum atque inde quo vellent ire permisit, singulas ubicunque accubuissent peculiari deo (*τῷ προςήκοντι θεῷ*) mactari mandans iis, qui oves comites sequebantur. Ex eo iam nunc per Atheniensium pagos arae sine nomine (*βωμοὶ ἀνώνυμοι*) inveniuntur, ad memoriam lustrationis illius«. Erant historici illius tempore in Attica arae sine nomine, quas illo modo ab Epimenide urbem lustrante conditas esse dicebant. Etiam caerimonia a Laertio Diog. tradita haud ita obscura est et aptissima ad parricidii culpam expiandam. Oves et arietes mactabant qui deos culpa aliqua iratos placare quique ipsi se expiari

1) cohortatio ad gentes. p. 22 Potter. p. 95 B. Migne.

volebant, cum porcis lustrum facerent, ut res impuras a se removerent[1]). Nimis subtiliter vero verba examinant, qui nigras et candidas oves certam quasque ob causam immolatas esse dicunt[2]): voce enim »πρόβατα μέλανά τε καὶ λευκά« omnium colorum oves significantur. Proprium autem illud sacrificandi genus quid sibi velit cognoscemus collato Polybio IV 21, 8. Similiter atque Athenae per Alcmaeonidas, aliquando Matinensium agri inquinati erant eo quod Cynaethensium legati quorum in patria crudelissima caedes perpetrata erat, per eorum terram profecti erant. Qui ut primum abierunt, Mantinenses lustratione instituta hostias per oppidum et per totam terram circumferebant. Non aliter Epimenides ea qua dixi ratione quam plurimos totius Atticae locos expiationis participes fieri volebat.

Cui deo Epimenides aras erigi et oves mactari iusserit ex obscuris Laertii Diog. verbis certo cognosci non potest: *προστάξας τοῖς ἀκολούθοις, ἔνθα ἂν κατακλίνοι αὐτῶν ἕκαστον θύειν τῷ προσήκοντι θεῷ.* Verba *τῷ προσήκοντι θεῷ* ut ad duas notiones referre ita variis modis interpretari possumus. Nam primum si ea coniungimus cum notione loci quae est in *ἔνθα ἂν κατακλίνοι*, significantur dii ad quos singuli loci pertinent: singulae igitur oves immolatae sunt deo illius loci, quo quaeque substitit, id quod fieri poterat, cum tota terra maculata etiam singulorum locorum[3]) dii irati esse crederentur. Deinde si verba illa ad notio-

---

1) Schömann II[3] 363.

2) Hoeck III 282 nigras oves e Cretensium mysteriorum cultu desumptas esse conicit, Duncker l. c. IV 170 dicit, nigras diis Orci et mortis, candidas diis lucis et caeli mactatas esse.

3) De diis singulorum locorum dictum esse credunt auctor de l'histoire générale et particulière de la Grèce Tome V 1783. p. 59. Grote-Fischer II 38. Curtius I 305. Richter l. c. E. Lerminier, histoire des législateurs et des constitutions de la Grèce. 1852. Tome I 185. alii.

nem sacrificandi, quae est in verbo *θύειν* referuntur, *ὁ προςήκων θεός* est is, cui sacrificium debetur. Nec vero tunc liquet num ita dictum sit, quod Epimenides ipse nesciebat, qui deus propter caedem prae ceteris oppido irasceretur, an historicus quidam minus accurate, nomine certo omisso, peculiarem deum significare voluerit, cui talibus in rebus sacra fieri et aras condi fas esset. Ita Argivi caede mille hominum in sua patria a civibus facta inter alia remedia Iovi *Μειλιχίῳ* statuam a Polyclito perfectam dedicaverunt[1]), et Tegeatae Scephro interfecto Apollinis Agyiei cultum instituerunt[2]). Harum sententiarum quaenam vera sit certis argumentis diiudicari non potest. Falsam autem esse apparet eorum opinionem, qui dicunt his aris adnumerandam esse eam, quam Paulus apostolus Athenis vidit et de qua dicit Acta apost. XVII 23: *εὗρον καὶ βωμὸν ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώστῳ θεῷ*[3]), nam primum hoc omnino non necessarium est, deinde in ara, quae vocatur *ἀνώνυμος* nihil omnino inscriptum est. Tegeatarum et Argivorum exemplo adducor ut credam, unius certi dei novo cultu Atticam post scelus illud lustratam esse, qui potuit esse Apollon Agyieus, quem et in ipsis viis urbis et Acharnis[4]) cultum esse scimus.

Praeterea ad expiandam caedem Laertius Diog. I 110 narrat duos iuvenes, Cratinum et Ctesibium, mortem obiisse, de qua re praeter illum unus agit Athenaeus XIII 602B: »Celebratum est Cratini factum Atheniensis, qui cum formosus esset adulescentulus, quo tempore Epimenides Atticam sanguine humano lustravit ob vetusta quaedam piacula, ut

---

1) Paus. II 20. §. 1 et 2.

2) Paus. VIII 53 §. 1—6.

3) Aegidius Menagius (ed. Hübner I 291) adnotat, Brodaeum et Bezam in commentariis hoc scripsisse. Grabener l. c. p. 11 et Hoeck III 258 not. w. hanc opinionem impugnant, quam verisimilem esse credit Heinrich p. 92 sq.

4) Paus. I 31, 6.

tradit Neanthes Cyzicenus secundo libro *περὶ τελετῶν*, ultro se ipsum pro patria obtulit: cuius post mortem Aristodemus amator eius sponte vitam finivit et cessavit malum«. Quamvis parva Neanthis fides sit, hanc rem veram esse credemus. Errant enim ii, qui iam Polemonem Iliensem, virum doctrina merito clarum dicunt negasse, hominem ab Epimenide immolatum esse. Nam cum pergat Athenaeus: *οὐκ ἀγνοῶ δέ, ὅτι τὰ παρὰ Κρατίνου καὶ Ἀριστοδήμου πεπλάσθαι φησὶ Πολέμων ἐν ταῖς πρὸς Νεάνθην ἀντιγραφαῖς*, Polemo non tam Cratinum mortuum esse negat, quam insigne illud amoris testimonium ad mortem usque perdurantis inventum esse credit. Utrum Laert. Diog. an Neanthes nomina rectius tradiderit non constat, nihil autem agunt ii, qui sacrificia humana a Graecorum moribus abhorrere dicunt [1]), cum ante pugnam Salaminiam Themistocles ab Euphrantida vate coactus sit Persas nobilissimos Baccho mactare [2]). Etiam Pausaniae tempore sacrificia humana in Graecia fiebant et Apollini Athenis Thargeliorum die quotannis homines aut immolabantur aut offerebantur [3]). Nam ut homo hominem iratum donis placare conatur, ita quo poenas a deo impositas a se avertat, id praebet quod ei carissimum est.

§. 4. Iam vero cum quatuor illas institutiones a nostro Epimenide Athenis factas esse viderimus, quo expeditius progrediamur demonstrandum est, nihil ei cum heroe Attico, cui idem nomen est, commune esse. Est enim in Hesychii Alexandrini lexico [4]): *Βουζύγης ἥρως Ἀττικός, ὃ πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας· ἐκαλεῖτο δὲ Ἐπιμενίδης· Καθίσ-*

---

1) Grote-Fischer II 38 not. 3 Dunker IV 170 not. 4.

2) Plut. Themistocles 13.

3) Nägelsbach, Nachhomerische Theologie. p. 196 sq.

A. Mommsen l. c. p. 417—421.

H. Schaafhausen, die Menschenfresserei und das Menschenopfer. Archiv für Anthropologie. IV 1870. Heft 3. p. 267 et 275.

4) ed. M. Schmidt 1858. I p. 388 gl. 895.

τατο δὲ παρ' αὐτοῖς καὶ ὁ τοὺς ἱεροὺς ἀρότους ἐπιτελῶν Βουζύγης. Pro *ἡ πρῶτος* Musurus scripsit *ὁ πρῶτος*. Dicit igitur: »Buzyges heros Atticus qui primus boves aratro iunxit: nominabatur autem Epimenides. Apud quos (sc. Athenienses, quorum nomen supplendum est e voce *Ἀττικός*) erat etiam *Βουζύγης*, qui sacras arationes perficit«. Sacrae autem arationes, quibus agricolae sementem facere iubebantur, Athenis singulis annis ter cum caerimoniis fiebant. Primam quae erat prope sacrum Minervae Sciradis ad viam Eleusiniam, in memoriam primae segetis Athenienses institutam esse dicebant: altera erat in agro Rario prope Eleusina, cum Eleusiniorum in fabulis esset hoc loco terram primum aratam esse: tertia sub arce fiebat a gente Buzygarum, quos Minervam *Πολιάδα* colere docemur loco Aristidis[1]). Qua occasione execrationes Buzygiae contra eos pronuntiabantur, qui summa humanitatis praecepta negligerent. Proavus autem Buzygarum, cum Athenis Minerva ipsa ut agriculturae dea culta sit, eundem locum habet quem Eleusine Triptolemus[2]). Itaque ei qui primus boves aratro iunxit nomen erat Epimenidi, id quod confirmatur loco Servii, qui ad Virgilii Georg. I 19, ubi est »uncique puer monstrator aratri«, de Triptolemo dictum, adnotat: »Ergo Osiris significatur ut Philostephanus *περὶ εὑρημάτων*, vel Epimenides qui postea Buzyges dictus est secundum Aristotelem«. Etiam Aristoteles, cuius auctoritas his in rebus summa est, testatur nomen proprium eius, quem postea Buzygae nomine venerabantur, Epimenidem fuisse. Potuit autem antiqui illius herois nomen prae Buzygae cognomine fere interire propterea quod gens, quae ab eo originem ducebat, a munere illo publico Buzygarum nomen accepit, quod deinde ad auctorem gentis translatum est. Ad quos locos accedunt tres alii,

1) Preller-Plew. I 169.
2) Ibidem p. 642.

quibus coniectura Epimenidis herois nomen restitutum est [1]). Cum vero tot locis constet illum Epimenidem postea Buzygae nomen accepisse, non miramur quod alii Buzygen artem arandi invenisse tradunt et Ausonius serae aetatis poeta non iam Buzygen et Epimenidem scit eundem esse, sed ut duos agriculturae heroes praeter Triptolemum nominat. Nos autem hac in re tam longos esse oportuit quod Bossler [2]) et Mommsen l. c. p. 75 nostro Epimenidi Creti postea Buzygae cognomen datum esse dicunt propterea, quod antiquas leges et execrationes Buzygias Solonis tempore reformaverit et retractaverit. Has et alias opiniones, hoc uno fundamento nisas et illas Aristoteli contrarias videmus falsas esse.

§. 5. Si verum esset id, quod novissime Bernays [3]) scripsit, sacra Buzygia anniversaria in Cereris honorem facta esse, non dubitarem quin Pausanias I 14, 4 eiusdem nominis specie deceptus, statuam Athenis positam Epimenidi Creti falso tribuerit. Narrat enim supra fontem illum clarissimum qui Enneacrunos vocatur trans Ilissum fluvium cum alia templa fuisse, tum Cereris et Proserpinae ubi etiam Triptolemi statua fuerit. Cuius historia relata dicit se somnio prohibitum esse,

---

1) In scholio Victoriano ad Iliadem XVIII 483, ubi est: *καὶ ἄροτρον δὲ πρῶτον ἐκεῖ* (Eleusine) *μαίνιδος ὁ καὶ Βουζύγης ἔζευξεν*, Lobeck Aglaophamos p. 209 nomen Epimenidis pro *μαίνιδος* restituit. Idem fecit Andreas Schottius in Ausonii epistola 22, ubi in versu 46:

»Triptolemon olim sive medem vocant aut Tullianum Buzygen«

pro »medem« scripsit »Epimenidem« cf. Moritz Haupt, Varia nro. LXIII. Hermes V p. 34 sq. Denique in scholio ad Aeschinem II 78: »*Βουζύγης δὲ ἐκλήθη νευμίτης Ἀθηναίων τῶν πάλαι, ὅστις πρῶτος ζεῦγος ἔζευξεν. Ὅθεν καὶ τὸ ἄροτρον αὐτοῦ ἀνέκειτο ἐν τῇ ἀκροπόλει πρὸς μνήμην*«, Sauppius pro »*νευμίτης*« idem nomen scripsit.

2) Lud. Bossler, de gentibus et familiis Atticae sacerdotalibus. Diss. Gissensis 1833. p. 11 not. 9.

3) Bernays, Philons Hypothetika und die Verwünschungen des Buzyges in Athen. Monatsbericht der königl. Akad. d. Wiss. zu Berlin. September und October 1876. p. 604.

ne plura de illis rebus scriberet, quam ob rem se ea tantum describere, quae etiam homines non initiatos fas esset scire. Ante illud templum in quo etiam Triptolemi effigies fuerit, taurum aeneum fuisse, quasi ad sacrificium ducatur, et Epimenidem Cnosium sedentem, de cuius somno et patria postea pauca disputat narratque eum Athenas lustravisse. Quodsi recte heros Epimenides cum Cereris cultu coniungeretur, hunc putarem eo iure ante templum positum esse, quo Triptolemi statua in templo demonstrabatur, et prope eum qui primus taurum aratro iunxit aptissime tauri imaginem positam esse diceremus. Sed Bernaysium non recte iudicasse credo, non solum propter locum Aristidis iam a Prellero l. c. ascriptum, sed etiam quod scholiasta ad Aeschinem l. c. aratrum eius in arce Athenarum asservatum esse dicit. Quamvis igitur a nostro Epimenide Cereris sacra et mysteria culta esse omnino non traditum sit, ea nobis via ingredienda est, quam Mommsen p. 29 sq. et 300 demonstravit, dum sciamus certi etiam de hac re nihil constare.

Cum eo quod Epimenidem concludimus meritum esse de Cereris et Eleusiniorum cultu, si statua eius ante templum mysteriorum Agris posita erat[1]), conferemus locum Solonis Plutarchei p. 166, 1—4: »Sacra enim pulchra reddebat nec Athenienses patiebatur fero more in sordibus luctuque iacere, sacrificia cum ipsis funeribus coniungens et horridum barbarumque aspectum tollens, quem antea pleraeque mulieres

1) Forsitan inde natum sit quod Laert. Diog. I 109 dicit *Κρὴς τὸ γένος ἀπὸ Κνωσσοῦ, καθέσει τῆς κόμης τὸ εἶδος παραλλάσσων*, quem locum Casaubonus interpretatur: »speciem gentis suae eum non habuisse eo, quod comam aleret«. Kortüm p. 163: »der langbärtige Greis mit struppigem Haar und nachlässigem Aeussern«. Lerminier p. 184: »un vieillard au front grave, au maintient sevère; de longs cheveux, une barbe épaisse augmentaient encore la réligieuse majesté de ses traits«. Sed cum Epimenides non carminibus celebratus sit, quem historicum hoc tradidisse credimus nisi eum qui in aliqua statua id viderit? Templi illius statuaeque Epimenideae locus nunc etiam conspicitur.

praebebant«. Horridum barbarumque aspectum feminarum non minus ad exequias et iusta funebria pertinuisse veri similius fit eo, quod Herodotus apud Lacedaemonios narrat sua aetate post mortem regis idem luctus genus in usu fuisse, quod apud barbaros in Asia. Atque cum tales mores etiam Athenis vigerent, Solon[1]) illam in exequiis et diebus festis intemperantiam legibus vetabat. Quo in genere Plutarchus cap. 12 dicit eius leges praeparatas esse sacris ab Epimenide institutis. Luctus superstitum post necessariorum mortem temperatur veneratione inferorum deorum. Cereris quidem cultus Athenis receptus erat tempore migrationum antiquarum, sed illa confusa cum ea dea, quam Gephyraei Tanagrenses nomine Ἀχαιᾶς in urbem transtulerant. Nec poterat ea religio spem melioris vitae post mortem futurae excitare, cum mulieres Thermophoria agentes cum squalore lamentis luctuque humi iacentes ieiunia agerent et cum Cerere Proserpinam in Orcum dereptam complorarent. Qua consuetudine ne mores in hominum exequiis efferarentur prisca Cereris religio auctoritate novae attenuanda erat, cuius gloria tunc Eleusine divulgabatur, de qua Pindarus fr. 102 (Boeckh):

Ὄλβιος ὅστις ἰδὼν
κεῖν' εἶσ' ὑπὸ χθόν'· οἶδε μὲν βίου τελευτάν,
οἶδεν δὲ διόςδοτον ἀρχάν.

Eandem alii Graeci scriptores multis laudibus efferunt[2]). Sed haec dea cum ad id tempus sacrum Athenis non haberet, quo magis spe vitae melioris Atheniensium animi mitigarentur, alterum mysteriorum templum Agris, in ipsa urbe condendum erat, in quo postea parva mysteria fiebant. Hoc instituto Mommsen credit Atheniensibus faciliorem aditum ad mysteria ab Epimenide factum esse, nec tanti inde ab illo tempore Thesmophoria momenti fuisse.

---

1) Plut. Solon. cap. 21.
2) Schömann II 395 sq. Welcker. II 519 sq.

§. 6. Vidimus Epimenidem post caedem Cyloniorum Athenas venisse ex oraculo, quod Atheniensibus pestilentia pressis ab Apolline Delphico missum erat. Hunc quidem deum non raro in publica aliqua miseria suam auctoritatem augere novosque cultus instituendos curare audimus: ut Tegeatae narrabant[1]: »ὕστερον δὲ ἐπιλαβούσης ἀκαρπίας ἰσχυρᾶς ἦλθε μάντευμα ἐκ Δελφῶν Σκέφρον θρηνεῖν. Nec minus cum Athenienses Metragyrtam Phrygium ut furentem in voraginem coniecissent, postea in magna terrae sterilitate iussi sunt ab oraculo, matri Deum templum erigere[2]) Cylonem constat post ol. 35 ante Pisistrati aetatem[3]) primo cuiusdam olympiadis anno arcem occupavisse, quem annum chronologi et Plutarchus recte ante Solonis leges posuerunt: 620, 616, 612, 608, 604. Haud ita multo post consilio Apollinis Delphici missus venit Epimenides, cum Eumenidum arae non tam diu sine honore esse potuerint. Itaque quamquam de Solonis et Epimenidis commercio nihil nisi in epistolis et a Plutarcho, qui eas sequitur, traditum esse dixi p. 9, et amicitiam eorum laudare ei tantum licet, qui omnes septem sapientium epistolas genuinas esse credit, nostrum Solonis aetate Athenas venisse concedimus. Num quid in republica constituenda Solonem adiuverit nescimus, Plutarchi autem laudibus hac in re nihil tribuendum est, cum iam Kortüm p. 164 not. 242 illud historicorum antiquorum artificium detexerit, qua opus eorum qui leges scripserunt, religiosorum hominum institutis praeparatum esse fabulantur. Dicit enim: Epimenides empfahl nicht sowohl Solon als der Delphische Gott. Wie angeblich der kretische Dichter Thaletas dem Lycurg vorarbeitete (Plut. Lyc. cap. 4), so fand die spätere Ansicht auch in Epimenides einen Verbündeten Solons. Beide Nachrichten sind unerwiesen. Atque mireris quod Plutarchus l. c. qui de Thaleta

1) Paus. VIII 53, 3.

2) Scholia Veneta in Aristophanis Plutum. 431.

3) Africanus p. 13. Herodot V 71.

4) Thucydides l. c. §. 3.

tradit: κατεπραΰνοντο τὰ ἤθη et προοδοποιεῖν τὴν παίδευσιν, de Epimenide iisdem fere verbis utitur: προωδοποίησεν αὐτῷ τῆς νομοθεσίας et ἐποίησε πρᾳοτέρους. Cum igitur Terpandrum et Thaletam scriptores multi falso aequales fecerint Lycurgi, qui Lacedaemoniorum leges scripsit[1]), vereor ne etiam iis, quae iisdem verbis de Epimenide et Solone Plutarchus pronuntiat, nihil tribuendum sit.

Iam si quaerimus qua ratione Epimenides clarissimas suas lustrationes Athenis instituerit, praeter ea quae dixi, nihil fere invenimus. Ne Plutarchi quidem verba: τὸ δὲ μέγιστον, ἱλασμοῖς τισι καὶ καθαρμοῖς καὶ ἱδρύσεσι κατοργιάσας καὶ καθοσιώσας τὴν πόλιν, alias res significant atque Eumenidum templum conditum et caerimonias illas et sacrificia. Nisi forte etiam heroon Cylonis, quod prope Eumenidum aras et sacrum Hesychi ἐκτὸς τῶν Ἐννέα πυλῶν erat[2]), non minus ab Epimenide sceleris expiandi causa conditum esse credes. Quod illum primum agros et domos lustravisse tradit Laert. Diog. I 112, inde natum esse credo, quod nemo antiquae aetatis virorum lustratione aliqua clarior, aut nemo omnino clarus erat[3]). Epimenides autem maximam Graeciae urbem lustraverat eique carmen antiquissimum cui nomen erat καθαρμοί tribuebatur[4]), quod epico metro scriptum fuisse credit Heinrich p. 99 not. 99. Vidit enim verba Strabonis: τὸν τοὺς καθαρμοὺς ποιήσαντα διὰ τῶν ἐπῶν[5]) non recte intellecta esse a Barthélemy I 62: il ordonna d'accompagner ces sacrifices de certains cantiques, propterea quod cantica quae ad deorum cultum pertinent,

---

1) cf. Gelzer, Lycurg etc. Rh. M. XXVIII p. 27 sq.

2) Polemonis Iliensis fr. 49. (F. H. G. III 130). Köhler, Hermes VI p. 101.

3) Hoeck III 285 dicit, ad id tempus lustrationes cohaesisse cum cultu et templis unius cuiusque terrae.

4) Simile carmen scripsit Empedocles de quo nihilo plura scimus. Schömann II 369. not. 2.

5) Etiam apud Eudociam est p. 151: ἐποίησε δὲ καὶ καθαρμοὺς δι' ἐπῶν.

non nominentur *ἔπη* sed *μέλη*, *ᾠδαί*, *νόμοι*. Strabo igitur cum illud carmen legeret aut nomen eius audiret hoc ad ipsas lustrationes putabat compositum esse[1]). Iam ad certum deum si credimus nostri lustrationes pertinuisse, Apollinem dicemus qui deus in patrio Epimenidis oppido colebatur[2]), cuius oraculo eum commendatum esse et cum cultu eius nonnullas caerimonias cohaerere videmus. De hoc deo est in Aeschyli Eumenidibus v. 62 et 63:

ἰατρόμαντις δ' ἐστὶ, καὶ τερασκόπος
καὶ τοῖσιν ἄλλοις δωμάτων καθάρσιος.

Epimenidem auctorem vel sectatorem fuisse illius doctrinae, inde a saeculo a. C. n. sexto in Italia a Pythagoreis, in Graecia ab Orphicis divulgatae, qua dicebant hominem natura improbum certis tantum initiis a culpa liberari posse, non est quod credamus. Tamen ii, qui postea lustrationum et expiationum laudes praedicabant, multa ad eum videntur retulisse et carmini ad Orphicorum rationem composito nostri nomen inscripsisse. Quamquam nimis verba premit Hoeck III 285, qui e loco Eusebii, quo lustrationes Orphicae et Epimenideae una Apollineis opponuntur, concludit Orphicas et Epimenideas easdem habitas esse. Praeterea Eusebium confidas non multo plura de his rebus scivisse quam nos. Ex Orphicorum usu desumptae sunt etiam voces *τελεστικὴ σοφία* et *κατοργιάζω* a Plutarcho, *ἀνὴρ τελεστής* a Socrate in ecclesiastica historia III 16, 24, *ἀνὴρ ὀργιάζων* a Nicephoro Callisti X 26 usurpatae. *τελετή*

---

1) Eudocia p. 166: *ἔγραψε πολλὰ ἐπικῶς μυστήρια καὶ αἰνιγματώδη καὶ καθαρτικὰ καὶ ἄλλα.* In verbis Suidae signa ita disponenda sunt, ut *καταλογάδην* non aliter atque *ἐπικῶς* ad omnes nostri libros referatur, e quibus duo tantum nominati sunt: *ἔγραψε δὲ πολλὰ ἐπικῶς καὶ καταλογάδην· μυστήριά τινα καὶ καθαρμοὺς καὶ ἄλλα αἰνιγματώδη.* Quae verba si alio signorum ordine intelliguntur (ed. Bernhardy II p. 435): »scripsit multa versibus; oratione prosa mysteria quaedam et lustrationes et alia reconditi argumenti«, Strabonis et Eudociae verbis contraria sunt, id quod necessarium non est.

2) Müller, Dorier I 208.

enim ut verbum τελεῖν initio quidem nihil significat nisi rem sacram ad finem perductam, proprio autem usu dicitur de sacris quae initiati homines faciunt. Nec aliter ὄργια vox plerumque de eiusmodi rebus sacris dicitur [1]). Potest autem τελεστικὴ σοφία etiam ad id pertinere, quod Eumenidum templum restituit et aras illos sine nomine condidit. Serae enim aetatis scriptores τελεστικὴν doctrinam commemorant qua tradebatur, quibus caerimoniis arae statuae templa diis dedicanda essent [2]). Primi Nicomachum secuti Iamblichus 135 et Porphyrius 29 nostrum καθαρτήν appellant. Nomen lustratoris primi datum est scillae, cuius proprius usus erat in sacris piacularibus, qua homines illos, qui φαρμακοί vocabantur, Thargeliis castigare solebant, cum ad mortem eos ducebant. Hanc Pythagorei, in limine ianuae suspensam malorum medicamentorum introitum pellere tradunt [3]).

Pausanias I 14, 4 commemorat nostrum et alia oppida et Athenas lustravisse, sed nobis nullum exemplum traditum est. Plutarchus enim in convivio septem sapientium quo insulam Delum ab eo lustratam esse dicit, ne voluit quidem historiam scribere. Si autem voluisset facile memoria deceptus rem Pisistrati et Periclis temporibus façtam [4]) ad nostri aetatem transferre potuit. Nulla praeterea in hac re auctoritas est Eusebio Caesariensi tribuenda, qui in praeparatione evangelica V 33 p. 226 scribit: ὡς μὴ μᾶλλον τῆς Κρήτης σὺ καθαρμοῦ προσδέῃ, Ὀρφικούς τινας ἢ Ἐπιμενιδείους καθαρμοὺς φανταζόμενος. Cretam is propterea nominat, quod patria est Epimenidis.

Initio (p. 9) dixi nomen eius, qui Epimenidem ex Creta arcessiverit inventum videri ab Hermippo vel simili historico.

---

1) Schömann II 373.

2) Ibidem 186 not. 5.

3) Ibidem p. 456, 254, 351. Plinius N. H. XIX 93. Theophrastus. VII 10. Lobeck Aglaophamos. 903.

4) Herodot. I 64. Thucyd. I 8, III 104.

Abeunti autem tradunt Laert. Diog. I 111 et Eudocia p. 150 ab Atheniensibus talentum et navem qua veheretur oblata esse, illum dona sibi tributa aspernantem foederis civium suorum cum Atheniensibus auctorem fuisse. Quod si revera factum est, scimus postea non magni momenti fuisse. Plutarchus contra in Solone et in praeceptis reipublicae gerendae 27, 8 laudat, eum ramum tantum oleae sacrae, quae est in arce, secum in Cretam tulisse.

Quaerenti igitur mihi, quid Epimenidem Athenis perfecisse auctores minus incerti tradant, nihil esse concedes, cur in republica constituenda eum plura putemus effecisse, quam necessarium est eum facere, cuius instituta ad cultum deorum pertinent. Hunc enim notum est apud Graecos multis rebus cum republica coniunctum fuisse. Lustrationes autem nostri ab iis, quae antea et postea non ab Orphicis sed ab aliorum deorum sacerdotibus fiebant non multum diversae erant. Postea demum cum novi mores in Graecia divulgarentur factum est, ut primum lustratorem talem sibi quisque fingeret, qualis ipse erat.

§. 7. Itaque cum Athenas eum non reipublicae constituendae causa, ut novis ritibus populum novarum rerum studiosum coerceret, sed religionis causa audiamus venisse, non licet aliter de Lacedaemoniorum rebus iudicare, de quibus perpauca tantum scimus. Timeas enim ne in hac historiae parte postquam ab Alexandrinorum scriptorum coniecturis libera usque ad Nitzschii et Urlichsii curas ignota fere iacuit [1]) nostratium opera historicorum e parvulis fragmentis magna quasi tabula restituatur, in qua splendoris plurimum, veri fides non sit. Malim autem tenuem viam sed eam certam munire, quam legentium animos coniecturis quamvis lepidis et argutis delectare, ne in devia itinera eos

1) Praeter hos maxime de his rebus egerunt Duncker, Stein ll. cc. Schäfer, de ephoris Lacedaemoniorum commentatio. 1863.

detorqueam, unde maximo demum labore quid certum quid incertum sit diiudicare possint.

Venisse Epimenidem Spartam praeter eos quos iam commemorabo locos testantur Tatianus 41 et Clemens Alex. in Stromatum libro I 21 p. 399 P. Apud utrumque est: *Ἐπ. ὁ Κρής, ὅστις εἰς Σπάρτην ἀφίκετο.* Deinde cum Pausanias III 11, 11 tradat, monumentum (*μνῆμα*) eius in antiquis ephororum aedibus fuisse, licet concludere, Epimenidem aliquo modo de ephoris meritum esse.

Praeterea maximi momenti sunt, quae de corio eius multis locis tradita sunt. Est enim in Suida et in Arsenii Violeto [1]: *Ἐπιμενίδειον δέρμα ἐπὶ τῶν ἀποθέτων.* Praeter quae verba est in Proverbiis Bodl. 875 [2]: *ἀπέκειτο γὰρ κατά τι λόγιον τοῖς Λακεδαιμονίοις τὸ τοῦ Ἐπιμενίδου δέρμα.* Idem fere est in Proverbio D VIII 28 [3]. Ad quae accedunt ea, quae Suidas et Hesychius Milesius tradunt: *τελευτήσαντος δὲ αὐτοῦ πόῤῥω χρόνων τὸ δέρμα εὑρῆσθαι γράμμασι κατάστικτον.* His locis cognoscimus *τὸ Ἐπιμενίδειον δέρμα* Lacedaemone tam religiose asservatum esse, ut nomen eius in proverbio de rebus arcanis et secretis diceretur. Narrabant autem hoc corium post mortem inventum esse litteris notatum. Nitzsch l. c. p. 161 vidit *δέρμα* illud non excoriati vatis cutem sed *διφθέραν* esse, in qualibus antiquissimis temporibus scribebant. Populus autem, cum illa non ipsa aspiceretur sed rumoribus tantum nota esset, fabulabatur, non pellem in qua scripta essent Epimenidis verba vel in qua ipse scripsisset, sed cutem eius ibi custodiri. Unde fabula nata est, nostrum a Lacedaemoniis interfectum et excoriatum esse, et Argivi Lacedaemoniorum inimicissimi Pausaniae tempore II 21, 3 affirmabant, se ipsos postea corpus eius surripuisse et ante suum Minervae templum humavisse. Et ut declararent, quomodo

---

1) ed. Walz p. 239.
2) ed. Gaisford. p. 107 B.
3) ed. Leutsch et Schneidewin I.

tam crudeliter in nostrum consulere potuissent, narrabant eum bello contra Cnosios gesto captum esse, quamquam nemo unquam de illo quicquam tradiderat. Etiam Lacedaemonii[1]) negabant hostem ad se venisse eum, qui Spartae templum Iovis et Veneris condidisset.

Alii autem cutem Epimenidis eo modo Spartam allatam esse dicebant, ut multo post mortem eius inventa esset litteris inscripta. Corpus eius Spartae asservari ex oraculo tradidit etiam Sosibius Laco[2]), ac veri simillimum est nostrum Spartae mortuum esse, quamvis Laert. Diog. I 111 commemoret eum mortuum esse paulo post, quam Athenis domum reverterit. Bode l. c. p. 468 suspicatur, Lacedaemonios carmen Epimenidis habuisse, quo de ipsorum, Cretum, Argivorum rebus praedictum esse putat et inde ortas esse inimicitias et calumnias Argivorum. Vaticinationes quidem in illa pelle fuisse concedo, cum narrent Epimenidem cladem Lacedaemoniis praedixisse[3]). Sed cum de eius χρησμολογίᾳ alia etiam vestigia inveniantur, credo singula oracula, qualia χρησμοί vocantur, eius nomine inscripta Spartae fuisse. Varia enim oracula a Graecis collecta et in corpus quasi redacta esse scimus[4]), cum oracula Delphica a Pythiis Lacedaemoniorum et ab Argivis asservari traditum sit, et Pisistratidae magnam oraculorum copiam Athenis reliquerint. Nec solum deorum dicta, sed etiam eorum hominum, quos divino spiritu incitatos esse credebant magna apud universas civitates in auctoritate erant. Scimus quidem Sibyllarum, Bacidis, Musaei aliorum verba publice custodita esse tanta religione, ut qui in Musaei oracula aliquid de suo intulisse dicebatur Onomacritus hanc ob rem Athenis expelleretur. Occultari autem Epimenidis δέρμα aut totius civitatis intererat aut

1) Paus. III 12, 11.
2) Laert. Diog. I 115.
3) Paus. II 21, 3. Laert. Diog. I 114.
4) Schömann II 303 sq.

singulorum magistratuum, et cum reges qui primas in republica tenebant iam oracula Delphis allata colligerent, non sine magna veri specie coniecit Urlichs, Epimenidis *δέρμα*, id est oracula, ab ephoris occultata esse, quorum in aedibus antiquis monumentum eius fuisse iam dixi. Nam cum reges oracula Delphica colligerent et Apollinis auctoritate Lycurgi leges et regium imperium sancita essent, ephori tantam potentiam nancisci non poterant, nisi aliqua ex parte religione adiuvarentur. Quorum potestas quibus initiis orta prudentium virorum industria magis magisque eo creverit, ut postea regum potestatem multo superarent, non satis constat, cum duorum tantum virorum nomina tradita sint. De Asteropo quidem Plutarchus Cleomenem cap. 10 facit dicentem: *καὶ τὸν πρῶτον ἐπισφοδρύνοντα τὴν ἀρχὴν καὶ ἀνατεινάμενον Ἀστέρωπον ἡλικίαις ὕστερον πολλαῖς* (post bella Messeniaca) *ἔφορον γενέσθαι.* Atque cum Laert. Diog. I 68 de Chilone dicat: *καὶ πρῶτος εἰσηγήσατο ἐφόρους βασιλεῦσι παραζευγνύναι*, demonstrat eum certam rationem certaque iura constituisse quibus ephori una cum regibus rem publicam gubernarent. Hoc autem non immerito credunt fieri non potuisse, nisi antea ephori aliqua religione sanciti essent. Neque temporum ratio obstat, quin ante Chilonis ephoratum Epimenides Spartam venerit.

Chilonis annos Bohren l. c. et Stein l. c. non eodem modo computant, cum res a scriptoribus traditas inter se coniungere nequeant. Nullius enim ea in re momenti est quod Herodoto I 59 auctore Chilon ludorum Olympicorum tempore Hippocratem, Pisistrati tyranni patrem, vetuit feminam in matrimonium ducere. Nec falso Schäfer p. 15 et Bohren p. 42 id negligunt, quod Laert. Diog. I 72 eum tradit circa ol. 52 *γέροντα* fuisse, cum verisimile non sit, *γέροντα* eodem tempore ephorum vocatum esse. Hoc dicit Sosicrates [1]) archonte Euthydemo factum esse, qui secundum Marmor Pa-

1) Laert. Diog. I 68.

rium ep. 41 eo munere functus est ol. 56, 1. Itaque cum credamus Chilonem circa ol. 56 (556—53 a. C. n.) ephorum fuisse, postea γέροντα factum esse, non negamus Epimenidem antea Spartam venisse. Sed quamquam concedo eo tempore Epimenidem ephoris oracula commisisse, non credo ea tanti momenti fuisse, cum et de aliorum oraculorum vi et auctoritate non multum traditum sit, nec nostrum sciamus alias in republica componenda versatum esse. Nec iis accedo, qui coniecturarum audacia exsultantes dubitant, an ad Epimenidem referant quicquid caerimoniarum postea ephororum potentiam augebat. Nullum enim fere argumentum habent quam id, quod aliud nomen non novimus, quae res in tam obscura historiae parte minime mira est.

Denique Pausanias III 12, 11 tradit, eum iuxta Sciadem rotundum aedificium condidisse, in quo statuae fuerint Iovis Olympii et Veneris Olympiae. Venus, ut filia Diones, quacum confunditur, coniux Iovis est et ut Aphrodite eademque Hera Spartae colebatur. Eadem nomine Πάνδημος usque ad Solonis tempus Athenis contionum et reipublicae dea erat [1]). Duae autem res sunt, quas ab Epimenide ephoris mandatas esse credunt: primum enim dicunt eum id instituisse ut ephori Thalamis in templo Inus, in quo et Solis et Pasiphaes statuae aeneae positae erant [2]), incubarent, et ut somnia quae ibi vidissent oraculorum instar existimarentur [3]). Alterum est quod a Plutarcho [4]) traditur, qui eos dicit nono quoque anno nocte illuni caelum observavisse atque cum stellam praecipitem de caelo labentem vidissent, regibus tam diu potestatem ademisse, donec oraculo Delphis vel Olympia allato liberati essent. Has et alias

1) Preller-Plew. I 300. Ed. Gerhard, Griech. Mythologie I 1854. §. 364, 6 d.

2) Paus. III 26, 1 ubi Meursius pro Παφία scripsit Πασιφάη.

3) Plut. Agis 9. Cleomenes 7. Cic. de divin. I 43, 96.

4) Plut. Agis 11.

conjecturas nostrum non est refutare sed iis qui eas proposuerunt, antea comprobandae sunt.

§. 8. De divinatione Epimenidis iam antiquissimis temporibus sententiae diversae ferebantur. Nam cum plerique crederent, homines nonnullos furore quodam instinctos res futuras prospicere posse, tamen haud pauci ex eruditioribus, inprimis historici, id negabant fieri posse [1]. Atque etiam qui id omnino fieri posse profitetur Pausanias X 2, 11, vates antiquissimorum tantum temporum enumerat, quo in numero deest Epimenides. Aristoteles quidem *περὶ ῥητορικῆς* III 17, 10 nostrum et alios vates confert cum iudicibus, qui de rebus perfectis iudicent affirmatque eius oracula ad res factas, non ad res futuras pertinuisse, eodem fere iudicio quod de oraculo Delphico, quamdiu incorruptum erat, ferre consuevimus. Similiter Apuleius de magia 31 Orpheum Pythagoram Ostanem Epimenidem existimat in eorum numero virorum esse, qui providentiam dei curiosius vestigent et impensius deos celebrent. Vulgo quidem eos magos nominari quasi facere etiam sciant quae sciant fieri. Idem in Floridis p. 130 nostrum fatiloquum nominat. Sed iam Casaubonus ad Laert. Diog. I 114, ubi est: *φασὶ καὶ γνωστικώτατον γεγονέναι,* miratur qui fiat ut omnia exempla ab antiquis scriptoribus tradita ad futura pertineant, cum Aristoteles testetur eum de perfectis tantum dicere solitum. Quam ob rem non negabimus, praeter ea quae in *Ἐπιμενιδείῳ δέρματι* publice videntur ab ephoris asservata esse, alia hinc illinc a privatis collecta Epimenidi tributa esse, sed publicam auctoritatem nullam habuisse. Solebant enim iam Aristophanis temporibus chresmologi quidam magnam vaticinationum copiam colligere, quas si quid aptum videbatur miranti vulgo pronuntiabant. Eius rei exempla etiam in Herodoti libris inveniuntur, qui VII 96 post pugnam Salaminiam tradit innotuisse oraculum

1) Nägelsbach, nachhom. Theologie. p. 175.

antea prorsus ignotum Lysistrati cuiusdam, qui multis annis ante vixerit, eoque de fine pugnae Salaminiae dictum fuisse [1]). Cui simillimum est id quod Hermippo auctore Plutarchus in Solone p. 166, 7 et Laert. Diog. I. 114 tradunt de Munychia. Dicunt Epimenidem, cum Munychiam videret, diu multumque admiratum esse, quam caeci homines essent. Athenienses enim si scirent, quantam inde miseriam passuri essent, oppidum illud dentibus laceraturos fuisse. Verbis »ταῦτα ᾔδει τοσούτοις πρότερον χρόνοις« videmus hoc, post occupatum anno 322 a. C. n. [2]) a Macedonibus castellum, publicatum esse. Nec dubito quin vox illa, quam postea Ioannes Tzetzes Chil. V 18 novem versibus repetiit, inventa sit ad exemplar eius quae de Cythera insula Chiloni tribuitur. Eodem modo locus Platonis leg. I. 642 D de quo iam supra diximus explicandus est, in quo oraculo licet duas partes distinguere. Primum enim praedicit ante decem annos Persas non venturos esse, deinde eos plus miseriae passuros quam illaturos esse. Itaque puto bello Persico finito simile atque Lysistrati illius vaticinium post eventum editum esse, quod Epimenidi tribuebatur, cum quo Plato qui non id agit ut historiam scribat, confundit id, quod de Diotima Socrates in Convivio p. 201 D narrat. Eadem fabula est apud Clementem Stromat. VI 3, ita quidem ut non iam de vaticinatione sed de miraculo dicens nostrum faciat bellum Persicum per sacrificia decem annis proferentem. Noli vero cum Lobeckio Agl. p. 315 credere fabulam illam tempore crevisse, sed unus Clemens, qui aperte hoc loco sua e Platone hausit, erravit. Antiquissimum autem omnium exemplum est id, quod Laert. Diog. I 115 eum tradit cladem Lacedaemoniorum apud Orchomenum acceptam prae-

1) De aliis vaticiniis post eventum inventis agit Nic. Wecklein, über die Traditon der Perserkriege. Sitzungsber. d. königl. Akad. d. Wiss. zu München 1876. p. 269.

2) Wachsmuth, Stadt Athen p. 608.

dixisse, cuius rei memoria etiam in Argivorum fabulis comparet teste Pausania II 21, 3. Egregia est in Laert. Diog. Urlichsii coniectura, qui pro *Κρησί* scribit *φησί*, cum antea intelligi non potuerit, quam ob rem Cretibus Lacedaemoniorum cladem praedixerit. Erat Epimenides Spartae circa tempus infelicis illius belli, quo Lacedaemonii ab Arcadibus prope Tegeam fusi fugatique sunt, de quo tam pauca scimus ut oraculum ad illam ipsam cladem referri coniicere non liceat [1]).

E talibus oraculis forsitan postea liber, cui nomen erat *χρησμοί*, coactus sit, quem Hieronymus [2]), Socrates III 16, 24, Nicephorus Callisti X 26 dicunt Paulo apostolo notum fuisse, qui dicit in epistola ad Titum I 12: *Εἶπέ τις ἐξ αὐτῶν ἴδιος αὐτῶν προφήτης· Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.* Ad hunc versum iam alludit Callimachus, hymn. in Iov. 6, sed dubium est num omnino in carmine Epimenidi tributo fuerit, cum etiam Hieronymus, quem Socrates et Nicephorus sequuntur, librum illum ipse non legerit [3]). Itaque diiudicari nequit, utrum ipse Epimenides illorum oraculorum auctor fuerit an illa composita sint ab aliis ut dicta Bacidis Musaei aliorum. Ipsi autem deberi ea, quae Spartae ab ephoris custodiebantur, veri est simillimum.

Plerique igitur veterum scriptorum aliter de eius divinatione iudicant atque Aristoteles. Cicero quidem de divin. I 18, 34 eum iis vatibus adnumerat, qui non ratione aut coniectura observatis ac notatis signis sed concitatione qua-

---

1) Duncker IV 367 sq.

2) Commentarius in epistolam ad Titum I 12 p. 706. Tome VII p. 606 C. ed. Migne. In epistolam ad Galatas III 1 p. 416. p. 372 A. In epist. ad Ephesios V 14. p. 558 B.

3) Hieronymus in ep. ad Tit. I 12: Dicitur autem iste versiculus in Epimenidis Cretensis poetae oraculis inveniri etc. Hoeck III 264 not. s. operam dat ut demonstret, Epimenidis tempore Cretes nondum tam mendaces fuisse.

dam animi aut soluto liberoque motu futura praesentiant, non minus quam Bacidem Boeotium et Sibyllam Erythraeam. A Plutarcho in Solone p. 165, 28 appellatur *σοφὸς περὶ τὰ θεῖα τὴν ἐνθουσιαστικὴν . . σοφίαν*. Idem in vita Agesilai cap. 3 eadem voce gnarum rerum divinarum vocat Diopithem chresmologum, ita ut haec laus haud ita magna sit. Paulo cautius scribit Laert. Diog. I 114: *φασὶ καὶ γνωστικώτατον γεγονέναι*: Clemens Al. Stromat. I 21 eum non minus fatiloquum nominat: *προγνώσει προσανεῖχεν*. Nec omittere possum quod scholiasta in Luciani Timonem 6 [1]) narrat, nostrum post somnum sexaginta annorum mente alienatum esse, et per reliquam vitae partem vaticinando operam dedisse. Miraberis quisquis Lucretii laudator es quam similis sit huic loco Hieronym. Euseb. Chr. ad a. Abr. 1923, qui tradit, Lucretium poëtam postea amatorio poculo in furorem versum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisse. Ecce in Epimenidis historia clarum testimonium, quam non dignae sint fide Christianorum illorum calumniae, quibus paganorum scriptores in suspicionem adducere studebant.

§. 9. De victu Epimenidis disputantibus iam licet cognoscere, quomodo illae fabulae magis magisque auctae sint. Plato de leg. III. 677 D commemorat Cretes putare, primum Epimenidem leges temperantiae ab Hesiodo propositas secutum esse, quae sunt op. et dies 40: *Νήπιοι· οὐδὲ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός, οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ*. Iidem fructus in Plutarchi convivio VII sapientium ut signa simplicissimi victus nominantur. *μαλάχη* enim est malva, qua Graeci ut olere vescuntur, sed summam temperantiam vel egestatem de iis praedicari, qui hoc faciunt, vides ex Aristophanis Pluto v.

1) ed. Iacobitz, IV p. 42: *ὁ Ἐπ. οὗτος Κρὴς ἦν χρησμολόγος, οὗ καὶ τὸ »Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται« λόγιον. λέγουσι δὲ ξ' ἔτη ὑπνώσαντα οὕτω μετὰ ταῦτα ἀναστῆναι, παραλλάττοντα καὶ κεκινημένον τὴν διάνοιαν, καὶ εἰς χρησμολογίαν ἐντεῦθεν λοιπὸν ἀπιδεῖν.*

544. Ibi Chremylus deam Egestatem incusat, quod hominibus panis loco malvam praebeat. Quam ob rem narrabant eam a Pythagora et Democrito laudatam esse [1]), incertum utrum valetudinis causa an propter mysticam quandam naturam. Propter hanc enim Pythagorei et Orphici eam ad suas coenas adhibebant [2]). Ἀσφόδελος [3]) autem est asphodelus ramosus, quod liliorum genus etiam in nostris hortis invenies, foliis longis et acutis, caule alto et in fine ramoso, flore grati odoris. In radice sunt bulbi quibus antiqui utebantur ut nos fructu solani tuberosi. Nihil igitur loco Platonis exprimitur, nisi nostrum et non multum edisse et animalium carnem non gustavisse, quam summae temperantiae laudem Epimenidi detrectare non licet. Hermippus vero fr. 18 et Plutarchus in septem sapientium convivio cap. 14 et in dissertatione de facie in orbe lunae 25 minimam cibi copiam ab Epimenide consumptam esse contendunt. Hermippus iam commemorat eum famis sitisque pellendae remedium habuisse. Timaeus denique et Demetrius [4]) narrant, eum a nymphis cibum accepisse, quem in cornu bovis secum tulerit, nulla excrementa eiecisse nec unquam edentem visum esse. De cuius fabulae singulis rebus inutile est disserere, cum quid in ea veri sit loco Platonis cognoscamus. Quod autem a nymphis eum prae ceteris amatum faciunt, iam dixi translatum esse ad nostrum ex iis, quae de Iove Cretico narrantur, cuius sacerdos a nonnullis existimabatur. Etiam temperantiam nostri claram fuisse inde cognosces quod asphodelus Epimenidius [5]) vocabatur.

---

1) Iamblichus 109. Damascius 106.

2) Lobeck p. 897—902.

3) Fritzsche ad Theocriti VII 68.

4) Laert. Diog. I 114.

5) Theophrast VII 10. Praeter Plutarchum de facie etc. Philo et Hero Epimenideos trochiscos sive pastillos commemorant in obsidionibus deficiente annona opportune adhibitos esse. Fabricius. I p. 34. ed. Harless.

§. 10. Iam historiae finibus relictis referamus nos ad fabulam de somno mirabili, qua noster maximam apud omnium temporum scriptores gloriam consecutus est. Theopompus autem apud Laertium Diog. I 109 narrat, Epimenidem quondam a patre rus missum esse ut ovem amissam quaereret: quo labore fatigatum vitandi caloris causa a via devertisse et in antro quodam somno altissimo sopitum esse. Cum autem quinquaginta septem annis post experrectus esset, parvum tantum temporis spatium se dormivisse ratus ab opere incepto ovis quaerendae non destitit. Sed rura paterna prorsus mutata vix oculis cognoscens ut in oppidum redit, obstupefit ignotorum hominum aspectu, quaerentium quis sit. Denique per fratrem antea natu minimum, tum senio laborantem quid interea gestum sit comperit. Atque cum primo post somnum die eandem corporis speciem haberet atque antea, 57 diebus non aliter senuit atque alii homines 57 annis consenuerant. Paucis tantum rebus mutatis Apollonius hist. comm. 1. fabulam narrat, nec minus Plinius N. H. VII 175, qui addit eum puerum somno victum esse et inventam fabulam esse non minus credit, quam Tertullianus de anima 44. Plutarchus [1]) commemorat eum adolescentem somno oppressum, quinquaginta annis post senem surrexisse. Suidas et Pausanias rem paucis tantum attingunt, Maximus Tyrius denique [2]) fabulam ab Epimenide ipso inventam esse dicit, ut declararet quam similis longo somno vita humana esset.

Nos nec cum Plinio et Tertulliano rem fabulis adscribere nec Maximi Tyrii interpretationem falsam existimare dubitabimus. Inepta est etiam antiqua illa opinio eorum [3]), qui, ratione fabulae difficultatem removere cupientes, Epimenidem dixerunt per longum tempus arti medicae operam

1) Plut. an seni sit respublica gerenda. I 12.
2) Diss. 16. I 285 Reiske.
3) Laert. Diog. I 112. Suidas s. v. διεκπατῆσαι.

navasse et herbas collegisse (*ῥιζοτομία*). Nam ut Heinrichio p. 43 sq. concedamus, sacerdotem lustrandi peritum illo tempore omnes herbas cognoscere debuisse, ad quas colligendas et apparandas pertinet verbum *ῥιζοτομεῖν*, auctoritatem certe illi interpretationi non tribuemus, cum a seris demum auctoribus inventa sit. Quare lustratorem Epimenidem non eundem ut medicum admirabimur.

Cuius fabulae quamvis primum testem habeamus Theopompum, tamen antiquior ea videtur et inde orta esse, quod longissimam vitam (annorum 154) nostro iam Xenophanes Colophonius tribuit. Qui annorum numerus nec apud antiquos scriptores omnino exemplo caret, cum Plinius Nat. Hist. VII 154 et Phlegon in libro *περὶ μακροβίων* [1]) testes sint, Arganthonio Tartesiorum regi ab Anacreonte 150 annos tributos esse, et nostra aetate nonnullos homines vitam plus centum annorum consecutos esse audimus. Tamen minus mirabile videbatur 154 ante mortem annis natum esse eum, qui interea multos annos dormivisset. Post Xenophanem numerus certo artificio auctus est ad 157, e quibus centum annos, i. e. tres *γενεάς* vitae ipsi, tres *ἐννεακαιδεκαετηρίδας* somno tribuunt [2]). Undeviginti enim annis praeterlapsis idem siderum status redit (*ἐν οἷς τὰ ἄστρα τὴν ἀποκατάστασιν ποιεῖται*), quo annorum spatio etiam postea Athenis Meton in computatione mensium et annorum usus est. Quibus numeris aperto illis artificio inventis nulla omnino fides est. Ceteri autem omnes praeter Cretum numerum maximum aut corrupti sunt aut minus accurate scripti [3]).

1) F. H. G. III p. 610.

2) Schäfer, de ephoris etc.

3) Tradunt autem numerum annorum

	vitae	somni
Xenophanes Colophonius	154	
Cret. (Laert. Diog. I 111)	299	
Eudocia	περὶ 300 ἔτη	

Iam cum scias unde certus ille numerus ortus sit in memoriam tibi revoco, similes fabulas iam Sophoclis tempore omnium in ore fuisse. Orestes quidem in Electra fabula v. 62—64, quos versus Wecklein ut falsas eiicere voluit, dicit, iam saepius se vidisse homines sine causa de sapientium morte dicentes. Quibus domum reversis postea multo maiores honores tributos esse. Haec verba a scholiastis et grammaticis ad Zalmolxin et Pythagoram referuntur, similesque fabulas etiam Herodotus IV 14 et 95 de Aristea et Zalmolxi narrat. Fabulam autem de Epimenide narratam ex simili fraude atque illam quam de Zalmolxi Herodotus narrat interpretari, ut simplicissimum ac facillimum est, ita idem iniustissimum. Cur enim nec Pythagorae nec Carolo Magno, quicquid de illis narratum est, imputamus: Epimenidem ut auctorem omnium quae unquam de eo fabulati sunt vituperabimus?

Nam alia etiam fabula eius nomini adhaesit, unde

---

	vitae	somni
Valerius Max. (Theopomp.)	157	57
Laert. Diog. I 109		57
Phlegon	157	
Eudocia p. 150	157	57
Plinius N. H. VII 175	157	57
id. §. 154	153	
Apollonius	150	57
Append. Vat. Cent. (Theop. fr. 69)	157	7
Suidas	150	60
Schol. Luciani Timon 6		60
Plut. an seni sit. etc. I 12		50
Arsenius ed. Walz p. 239	150	6
Gregor. Cypr. Cent II 23		50
Varro L. L. VII p. 80 Bip.		50
Tertullianus de anima 44		paene 50
Pausanias I 14, 4		circa 50
Maximus Tyrius diss. 16. (I 285 Reiske)		ἔτη συχνά
Prov. Coisl. 209		6

forsitan initium ceperit ea, quae est de somno mirabili quaeque postea ab historicis et mythographis ita exculta est, ut nunc apud Theopompum legimus. Est autem in alia illa fabula, animum eius quamdiu voluerit relicto corpore in mundo vagatum postea in corpus rediisse. Nam quod est in Laertio Diog. I 114: *λέγεται προςποιηθῆναι πολλάκις ἀναβεβιωκέναι*, accuratius explicatur a Suida: *οὗ λόγος ὡς ἐξίοι ἡ ψυχὴ ὁπόσον ἤθελε καιρὸν καὶ πάλιν εἰσῄει ἐν τῷ σώματι*, et ab Hesychio Milesio: *λόγος ὡς ἐξήρχετο ἡ ψυχὴ ὅτε ἠβούλετο καὶ ὁπόσον ἤθελε καιρὸν καὶ πάλιν ἐπανήρχετο.* Idem narrat Plinius de Aristea Hermotimoque, et iam Heclides Ponticus librum legit Pythagorae nomine falso inscriptum, quo dictum erat illius animum per caelum et orcum vagatum esse. Idem iam dixi de Hermotimo narrari, cuius in corpore ferebant Pythagoram antea fuisse. Tales autem fabulas antiquissimas esse Rohde vidit[1]), quamvis etiam de Pythagora primus nobis auctor sit Theopompus, cum iam in Indicis fabulis historia inveniatur simillima ei, quam de Hermotimo Graeci narrabant. Atque ut cum hac fabula, quae non ab Epimenide inventa est sed multo ante orta eius nomini tantum adhaesit, apud nostrum coniuncta est historia de somno illo mirabili, ita Herodotus IV 14 Aristeam, de quo idem praedicabatur, narrat cum antea mortuus esse diceretur septimo anno post rediisse eoque tempore apud Arimaspas fuisse.

Fabulam igitur illam qua initio nostri saeculi Goethius usus est apud antiquos notissimam fuisse praeter locos iam laudatos demonstrant Luciani Timon 6, ubi Timon Iovem increpat: *ὑπὲρ τὸν Ἐπιμενίδην κεκοίμησαι* et locus in dialogo *Φιλοψευδὴς ἢ Ἀπίστων*[2]), ubi etiam de remedio illo famis sitisque pellendae dictum esse potest. In Hieronymi epistola

---

1) E. Rohde, Rh. Mus. N. F. XXVI p. 558 not.

2) ed. W. Dindorf 1842. p. 588. Etiam Eudocia l. c. p. 150: *ὅθεν καὶ παροιμία ἐλείφθη, ὑπὲρ τὸν Ἐπιμενίδην κοιμᾶσθαι.*

33, 1 est: »Epimenidis dormire somnum«, apud Alciphronem III 38, 2: *ὑπνοῖ δέ, ὅσον ἤκουσα τετυφωμένου τινὸς σοφιστοῦ λέγοντος Ἐπιμενίδην τινὰ κεκοιμῆσθαι.* Prov. Coisl. 209: »*Ἐπιμενίδειος ὕπνος* dicitur *ἐπὶ τῶν λίαν ὑπνηλῶν*«, homines somni amantiores vocantur etiam *Ἐπιμενίδειον δέρμα.* Gregorii Cyprii Cent. II 23: *Ἐπιμενίδου ὕπνος ἐπὶ τῶν πολλὰ κοιμωμένων· πεντήκοντα γὰρ ἔτη ἐκάθευδεν.*

§. 11. Cum iam diu multumque homines docti investigavissent, qua ratione chronologi veteres in antiquissimorum temporum historia annos constituissent, nuper Diels l. c. denuo demonstravit eos, si clarorum virorum annos minus notos definire volebant, annum nascendi, floris, mortis cum alia re nota coniunxisse, ab eoque numero profectos ceteros computavisse. Veluti hac in re consentaneum est non traditum iis fuisse, quo anno Epimenides natus esset nec quo anno Spartae fuisset. At notum erat eum teste Platone anno a. C. n. 500 Athenas venisse et 157 annos vixisse. Platonis enim numeris eos fidem habuisse ut omnino verisimillimum est ita ipsi numeri docent. Unus Suidas tradit: *γέγονε ἐπὶ τῆς λ' ὀλυμπιάδος*, id quod per se dubitationem admittit, cum sibi ipse non constet, quid singulis locis sibi velit cum dicat: *γέγονε ἐπί* et sequatur eorum usum, e quibus sua hausit. Sed apud chronographos *γεγονέναι* semper fere de nascendo dicitur cum de tempore quo aliquis floruit vel clarus habitus est soleant uti verbis *ἀκμάζειν* et *γνωρίζεσθαι*[1]). Quam ob rem Clinton[2]) et Fischer[3]) nostrum olympiade XXX natum esse dixerunt.

Iam ab anno a. C. n. 500 = ol. 70, 1 si deduxeris annos 157 pervenies ad annum 657 = ol. 30, 4 credesque te rationem illorum chronologorum detexisse.

---

1) A. Schöne, Untersuchungen über das Leben der Sappho. Symbola philol. Bonnensium 1867. p. 744 not. 5.

2) Clinton fasti Hellenici I. Oxonii 1834. p. 193.

3) Idem. Deutsch von Fischer und Soetbeer. 1840 p. 105.

Nec illi deterrebantur eo quod somnus 57 annorum ad illam annorum dispositionem non quadrat, si eum ante Athenas lustratas putamus finitum esse. Nam tum praeter somnum quatuor tantum annos antea vixisset. Sed nondum ille Laertii Diog. auctor singulas res ita disposuerat, ut eum somno clarum factum esse diceret, qua causa etiam ille, qui eum tamdiu dormivisse putabat, credere poterat id factum esse postea, quam Solonis temporibus, antea, quam anno 500 Athenas venisset. Alii nulla omnino ratione habita loci Platonici, Epimenidem senem Athenas venisse dicebant, quo facilius magnam eius in commovendis hominum animis auctoritatem explicarent.

Nobis igitur, qui Platonis annum non rectum esse viderimus, licet arte illa detecta omnes numeros negligere et hoc unum tenere, quod post scelus Cylonium eum Athenas venisse scimus. Quot annis ante Solonem id factum sit nescimus, Solonem autem illo munere anno a. C. n. 594—3. = ol. 46, 3 functum esse, Sosicratis testimonio fere constat [1]). Ab hoc anno derivati sunt illi, quibus Epimenidem Athenas lustravisse antiqui scriptores tradunt. Ad quam rem aptum est quod Leander Milesius nostrum septem sapientibus adnumeravit, quorum annum certum iam dixi esse 584 a. C. n. Num revera 154 annos vixerit nescimus, quam rem ne aequalibus quidem satis notam fuisse affirmaverim.

§. 12. De ipso Epimenide quaestionum finem facienti noli irasci, si forte imaginem illius ab Heinrichio propositam in memoria habeas, quod personam ab illo aliisque fictam delevi, multas contra res tibi in incerto reliqui. Nam cum optimi rerum scriptores eum non dignum crederent, quem commemorarent, infelici casu factum est, ut de somno vaticinationibus victu eius multa audiamus, de institutis autem eius tam pauca ut suspicari magis quam scire aliquid possimus. Quo tempore Graeciae civitates externis et civilibus

1) Ibidem. p. 114.

bellis lacerabantur, incertum quo auctore bis in Graeciam, Athenas et Spartam processit vir Cretensis. Lustrationes eius et oracula quamquam in republica constituenda non multum profuisse credimus, quia nec Solon ipse nec boni historici eum nominant, tamen ipse temperantia et gravitate videtur insignis fuisse. Atque cum de eius vita non multa comperissent, mox in patriam reversum fabulis ornare coeperunt. Ceterum cum notum sit, si quem fabula sibi elegerit, ad eius personam novas undique narrationes adnecti, absit a nobis ut propterea, quod fabulosae res de eo narratae sunt, mores eius tanquam praestigiatoris vituperemus. Quid praeterea Cretes incusabimus, quos dicunt cum alias mendaciorum plaustra credulis ingessisse, tum de Epimenide illas fabulas invenisse? Singulae res quam incertae sint demonstravi, vera potius quam grata mihi scribenda esse ratus. Itaque spreta inutili opera refutandi aut eos qui cum nihil scire possent, nostro male dixerunt, aut eos qui eundem sine causa laudibus in caelum tulerunt, enumerabo ea, quae de scriptis eius traduntur.

III.

Nec vero potest certis argumentis diiudicari, qui eorum librorum et locorum revera Epimenidi Creti debeantur, cum multi postea compositi esse possint, ut etiam ad Homeri Hesiodi Orphei aliorum nomina a serae aetatis poetis multa falso translata esse scimus. Accedit quod nomen nostri haud ita rarum est, sed idem habent:

a) heros ille Atticus de quo iam dixi,

b) *ὁ Δωριστὶ γεγραφὼς περὶ Ῥόδου*,

c) *ὁ γενεαλόγος* quorum utrumque Laert. Diog. I 115 commemorat,

d. e) duo Epimenides nominantur C. I. G. ed. Boeckh I nro 302 (col. II v. 11) et nro 641. Idem nomen est.

f) in epistola Aristaeneti II 17 p. 168.

g) in epistola Diogenis 51. p. 258.

Ex hoc quidem numero apparet duorum tantum opera confundi cum iis potuisse, quae noster scripsit, alterius qui genealogias, alterius qui dialecto Dorica de Rhodo scripsit, nec possunt certi fines constitui, quae genealogiis quae theogoniae tribuenda sint.

Serioris aevi foetibus adnumeranda sunt ea, quae prosa oratione scripta nostri sub nomine ferebantur:

a) *περὶ θυσιῶν*. Laert. Diog. I 112 et Eudocia.

b) *περὶ τῆς ἐν Κρήτῃ πολιτείας*. ibidem.

Hunc librum Diodorus Siculus V 80 vel ille ex quo sua hausit legit, cum dicat, se suam de Cretum antiquitatibus narrationem accommodare ad ea, quae tradiderint Epimenides theologus, Dosiades, Sosicrates, Laosthenidas. Epistolam qua dialecto Attica de republica Cretensi dictum erat, iam Demetrius Magnes cognoverat falsam esse (Laert. Diog. I 112).

Deinde est apud Athenaeum VII 282 e.: *ὁ μὲν τὴν Τελχινιακὴν ἱστορίαν συνθείς, εἴτ' Ἐπιμενίδης ἐστὶν ὁ Κρὴς ἢ Τηλεκλείδης εἴτ' ἄλλος τίς, ἱεροὺς φησιν εἶναι ἰχθύας δελφῖνας καὶ πομπίλους*. Quam historiam nec Teleclidae comico nec nostro Epimenidi tribui posse iam Lobeck p. 1183 docuit, cum obstare putet scribendi genus et nominis *ἱστορία* usum novitium.

Carmina Epimenidi ascribuntur:

A. *Κουρήτων καὶ Κορυβάντων γένεσις καὶ θεογονία*, versibus 5000. Laert. Diog. I 111. Eudocia. Qua theogonia, si eadem est, quam postea Eudemus laudavit, de duobus principiis et de »ovo mundano« dictum erat. Unde Schuster p. 74 concludit eam post veterem Orphicam theogoniam scriptam esse. Orphicam autem theogoniam cum iam primarum olympiadum tempore natam esse credat, nihil obstat

quin noster Epimenides illius auctor sit. Ad hoc carmen pertinent:

fr. 1) Damascii philosophi Platonici quaestiones de primis principiis cap. 124. p. 383 Kopp: Eudemus dicit: *Τὸν δὲ Ἐπιμενίδην δύο πρώτας ἀρχὰς ὑποθέσθαι, ἀέρα καὶ νύκτα, δῆλον ὅτι σιγῇ τιμήσαντα τὴν μίαν πρὸ τοῖν δυοῖν, ἐξ ὧν γεννηθῆναι Τάρταρον οἶμαι τὴν τρίτην ἀρχήν, ὥς τινα μικτὴν ἐκ δυοῖν συγκραθεῖσαν· ἐξ ὧν δύο τινὰς τὴν νοητὴν μεσότητα οὕτω καλέσαντα, διότι ἐπ' ἄμφω διατείνει τό τε ἄκρον καὶ τὸ πέρας, ὧν μιχθέντων ἀλλήλοις ᾠὸν γενέσθαι τοῦτο ἐκεῖνο τὸ νοητὸν ζῷον ὡς ἀληθῶς, ἐξ οὗ πάλιν ἄλλην γενεὰν προελθεῖν.*

2) Scholia in Theocrit I 3: *Πᾶνα] Ἐπιμενίδης δὲ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ Διὸς καὶ Καλλιστοῦς Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους.* = Schol. Vat. in Eur. Rhesum 36: *Ἐπιμενίδην δὲ Καλλιστοῦς καὶ Διὸς παῖδας γεγενῆσθαί φησι Πᾶνα καὶ Ἀρκάδα διδύμους.* = F. H. G. IV p. 405. fr. 7.

3) Ioannes Tzetzes ad Lycophron. 406: *Καὶ Ἐπιμενίδης ἐκ Κρόνου, ὡς Ἡσίοδος ταύτας φησὶ γενέσθαι (τὰς Ἐρινύας) λέγων οὕτως·*

Γήματο δ' Εὐονύμην θαλερὸν Κρόνος ἀγκυλομήτης,
Ἐκ τοῦ καλλίκομος γένετο χρυσῆ Ἀφροδίτη,
Μοῖραι τ' ἀθάνατοι καὶ Ἐρινύες αἰολόδωροι.

Idem fere est schol. in Soph. Oed. Col. 42.

4) Pausanias VIII 18, 2: *Ἐπιμενίδης δὲ ὁ Κρὴς εἶναι μὲν καὶ οὗτος θυγατέρα Ὠκεανοῦ τὴν Στύγα ἐποίησε, συνοικεῖν δὲ αὐτὴν οὐ Πάλλαντι, ἀλλὰ ἐκ Πείραντος Ἔχιδναν τεκεῖν, ὅστις δὴ ὁ Πείρας ἐστίν.*

B. *Ἀργοῦς ναυπηγία τε καὶ Ἰάσονος εἰς Κόλχους ἀπόπλους*, versibus 6500—6000. Laert. Diog. I 111. Eudocia. Ad hoc referendum est, quod scholia in Apollonii Rhodii Argonautica tradunt:

5) II 1125. Phrixi et Iophossae filios Hesiodus in Eoeis recenset quatuor: *Ἄργον Φρόντιν Μέλανα Κυτίσωρον. Ἐπι-*

μενίδης δὲ καὶ πέμπτον προςτίθησι Πρέσβωνα. = Eudocia p. 79 s. v. *περὶ τοῦ Ἄργου.* = F. H. G. fr. 5.

6) III 242: *Ἐπιμενίδης δέ φησι, Κορίνθιον τῷ γένει τὸν Αἰήτην· μητέρα δὲ αὐτοῦ Ἐφύραν φησί.* = F. H. G. fr. 4.

7) IV 57: *Ἐπιμενίδης δὲ αὐτὸν* (Endymion) *παρὰ θεοῖς διατρίβοντα ἐρασθῆναί φησι τῆς Ἥρας διόπερ Διὸς χαλεπήναντος αἰτήσασθαι διὰ παντὸς καθεύδειν.* = F. H. G. fr. 3.

C. *Περὶ Μίνω καὶ Ῥαδαμάνθυος.* v. 4000. Laert. Diog. I 112. Eudocia.

D. *χρησμοί* vel *περὶ χρησμῶν.* Ei iam dixi a scriptoribus ecclesiasticis tribui:

8) *Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.*

9) Aristoteles *περὶ ῥητορικῆς* III 17, 10: *τὸ δὲ δημηγορεῖν χαλεπώτερον τοῦ δικάζεσθαι, εἰκότως, διότι περὶ τὸ μέλλον· ἐκεῖ δὲ περὶ τὸ γεγονὸς, ὃ ἐπιστητὸν ἤδη καὶ τοῖς μάντεσιν, ὡς ἔφη Ἐπιμενίδης ὁ Κρής.*

10) Plutarchi de oraculorum defectu init. *Ἀετούς τινας ἢ κύκνους, ὦ Τερέντιε Πρίσκε, μυθολογοῦσιν ἀπὸ τῶν ἄκρων τῆς γῆς ἐπὶ τὸ μέσον φερομένους εἰς ταὐτὸ συμπεσεῖν Πυθοῖ, περὶ τὸν καλούμενον ὄμφαλον. ὕστερον δὲ χρόνῳ τὸν Φαίστιον Ἐπιμενίδην ἐλέγχοντα τὸν μῦθον ἐπὶ τοῦ θεοῦ καὶ λαβόντα χρησμὸν ἀσαφῆ καὶ ἀμφίβολον, εἰπεῖν·*

Οὔτε γὰρ ἦν γαίης μέσος ὄμφαλος, οὐδὲ θαλάσσης.
Εἰ δέ τίς ἐστι, θεοῖς δῆλος, θνήτοισι δ' ἄφαντος.

E. *καθαρμοί.* Strabo l. c. Suidas, Eudocia. Hoc carmen verisimillimum est ab Orphico quodam poeta compositum esse, eique adscriptum, qui primus lustratione aliqua inclaruerat.

Restant loci partim nostro partim aliis Epimenidibus attribuendi:

11) Aristoteles Polit. I 1, 6: *ἡ μὲν οὖν εἰς πᾶσαν ἡμέραν συνεστηκυῖα κοινωνία οἶκός ἐστιν, οὓς Χαρώνδας μὲν καλεῖ ὁμοκάπνους, Ἐπιμενίδης δὲ ὁ Κρὴς ὁμοπύους.*

12) Scholia ad Pindari Ol. I 127, postquam tredecim proci ab Oenomao interfecti enumerati sunt: *τούτῳ τῷ ἀριθμῷ*

τῶν ἀπολωλότων μνηστήρων καὶ Ἡσίοδος καὶ Ἐπιμενίδης συμμαρτυρεῖ. = F. H. G. fr. 2.

13) ad Ol. VII 24: *Ἐπιμενίδης δὲ αὐτὴν (τὴν Ῥόδον) Ὠκεανοῦ γενεαλογεῖ.* = F. H. G. fr. 1.

14) Schol. Eur. Phoeniss. 13: *Ἐπιμενίδης Εὐρύκλειαν τὴν Ἔκφαντός φησιν αὐτὸν (τὸν Λάϊον) γεγαμηκέναι, ἐξ ἧς εἶναι τὸν Οἰδίποδα· οἱ δὲ δύο τὸν Λάϊόν φασι γῆμαι γυναῖκας, Εὐρύκλειαν καὶ Ἐπικάστην. Καὶ τὸν Οἰδίποδα δέ φασιν Ἐπικάστην τὴν μητέρα γεγαμηκέναι καὶ Εὐρυγάνην* = F. H. G. fr. 6.

15) Iamblichi de vita Pyth. II §. 7: *Παραιτητέοι γὰρ Ἐπιμενίδης καὶ Εὔδοξος καὶ Ξενοκράτης, ὑπονοοῦντες, τῇ Παρθενίδι τότε μιγῆναι τὸν Ἀπόλλω καὶ κύουσαν αὐτὴν ἐκ μὴ οὕτως ἐχούσης καταστῆσαί τε καὶ προαγγεῖλαι διὰ τῆς προφήτιδος. τοῦτο μὲν οὖν οὐδαμῶς δεῖ προσίεσθαι.*

Carolus Otto Schultess de vita sua.

Natus sum d. 6. Nov. anni 1856 parentibus Christophoro et Ottilia Druxbergae in vico Magdeburgensi, ubi pater sacras res administrat. Fidem testor evangelicam. Literarum primordiis a magistris patrii vici et ab ipso patre eruditum, liberales artes me docuerunt gymnasii Magdeburgensis, quod est Beatae Mariae Virginis, magistri. Quorum disciplinae cum vere anni 1866 traditus essem A. Muelleri beneficio factum est, ut inde ab anno insequenti in ipso paedagogio vitam mihi degere liceret, moderantibus G. Herbstio et Bormanno. Leitzmanni Weidneri Alfredi Eberhard constantem erga me benevolentiam grata semper memoria tenebo.

Vere anni 1874 migravi Lipsiam, in sedem omnium artium scientiarumque merito clarissimam, ubi per senos menses sodalis fui proseminarii philologici et seminarii germanici sodalis extraordinarius, exercitationibus interfui historicis Voigtii, palaeographicis Wuttkii. Auctumno anni 1875 Georgiam Augustam Academiam adii, ubi in proseminarium philologicum, mox in ipsum seminarium receptus sum, cuius sodalis ordinarius per unum annum fui. Wieselerus bis sex menses tulit me inter seminarii archaeologici sodales. Deinde ut exercitationes historicas frequentarem concesserunt Pauli et Wachsmuth.

Docuerunt me G. Curtius Gilbert Hirzel de Leutsch Ritschl Sauppe Wachsmuth Wieseler philologi, Baumann Drobisch philosophi, Bernheim Pauli G. Voigt Wuttke historici, Hildebrand Zarncke germanici, Kahnis theologus, Ebers aegyptologus, Delitsch geographus, Roscher oeconomiae publicae magister. Quibus viris omnibus ago et habebo semper gratias maximas, in primis vero Curtio Wachsmuth, qui studia mea omni benignitate prosecutus est.

Agitur hac dissertatione: